ANNALIUM

AB ORIGINE

LUCENSIS URBIS

Volumen Primum

ANNALIUM

AB ORIGINE

LUCENSIS URBIS

VOLUMEN PRIMUM

BARTHOLOMAEI
BEVERINII
ANNALIUM
AB ORIGINE
LUCENSIS URBIS

Volumen Primum



LUCAE

TYPIS FRANCISCI BERTINII

MDCCCXXIX

MONITUM

Quod jamdiu erat in votis, ut Bartholomaei Beverinii Annales rerum lucensium typis ederentur, id singulari *Caroli Ludovici Borbonii Domini Nostri* beneficio tandem efficitur. Multi quidem Lucensium res gestas et reipublicae vices literis mandarunt: sed cum ea, quae patriae decori esse videbantur, potissimum aucuparentur, anilibus fabulis commentationes compleverunt suas. Hinc historia lucensis facta est mendosior. Quod non ita nostris scriptoribus culpae est tribuendum, ut caeterarum nationum scriptores

in idem peccatum non inciderint. Hoc enim erat illius temporis commune vitium. Primus ex nostris, qui vetera monumenta sedulo perquireret, fuit Daniel Nobilius. Is enim omni studio ea saltem invisere et perlustrare enitebatur, quae in tabulariis servantur, et aevum spectant, quod dicunt medium, nempe a saeculo post Christum natum VII usque ad XIII. Verum hisce copiis magno labore undique collectis non bene est usus. Nec ineruditus fuit Nicolaus Tuccius, qui in hac sparta ornanda se se exercuit et aliquid profecit; forte magis profecturus, si lucensium pontificum historiam, quam sibi scribendam proposuerat, confecisset. Multo autem plura conquisivit Franciscus Maria Florentinius vere polyhistor, omnigenae antiquitatis peritus, historicus, et me-

dicus melioribus aequiparandus. Is bibliothecam multis optimisque libris refertam sibi comparavit, vetera monumenta innumera e tabulariis vel collegit, vel transcripsit, vel saltem legit, et eruditione inde parta ad historiam conscribendam denique accessit. Multa literis mandavit, quae mitto recensere, cum mihi in praesentiarum satis superque sit commentarios de Mathildis, clarissimae viraginis, vita commemorare mira fide scriptos, qui digni habiti sunt, ut a Leibnitzio et Muratorio summis laudibus ornarentur. Ex eo sibi exemplum sumpsit Beverinius Annalibus componendis. Par utrisque fuit diligentia, judicium, fides, quo minus patriae charitas eos abriperet, et ad fabulas venditandas traduceret. Nec vero haec a me ita dicta intelligas velim, ut in

hisce Annalibus nihil sit quod desideres emendari. Sed levia haec sunt, quae *humana parum cavit natura,* et ei praesertim tempori ignoscenda, quo nec critices leges satis innotuerant, et tot deerant adjumenta, quae nobis ad vetera investiganda praesto sunt. Cuncta vero tam graviter, tam diserte, tam latine scripsit, ut tot clarissimorum virorum, qui post renatas literas floruerunt, perpaucos ei compares, neminem forte anteponas.

Quae cum ita sint, noluit lucensis academia nobilissimum Beverinii opus diutius in forulis bibliothecarum delitescere, sed ut in vulgus prodiret decrevit. Re autem cognita *Carolus Ludovicus Borbonius* pro ejus in literas amore et academiam laudavit, et aere publico impensam fieri jussit. Hinc rei cura sex viris de-

mandata est; Dominico Bertinio in lycaeo lucensi philosophiae doctori, Michaeli Bertinio clerico regulari, ut ajunt, Matris Dei et in eodem lycaeo matheseos doctori, Lazaro Papio a bibliotheca publica, Dominico Barsocchinio, Leonardo Cardellae, et Caesari Lucchesinio Ducis nostri a consiliis. Sed paullo post maximo omnium moerore Dominicus Bertinius doctissimus vir nunquam satis laudandus diem obiit supremum. Caeteri autographum librum nacti in praestantissima bibliotheca S. Mariae Curtis Orlandingorum, ut ad ejus fidem impressio fieret, statuerunt. Attamen et apographa, quae melioris essent notae, consulenda judicarunt; illud praecipue a Guinisiis diligenter servatum, Beverinii in eos veteris amoris monumentum. Beverinio enim utebantur valde familiariter,

et cum in Matrajano rusticabantur, hospitio comiter excipiebant. Quapropter de hoc codice multa dicebantur, et spes quaedam erat secundis curis esse emendatum. Sed cum Laelius Guinisius praetorianorum centurio librum humanissime commodasset, sex praefecti laudarunt quidem calligraphi peritiam, et quaedam linearis picturae ornamenta, quibus prima frons decoratur, sed spes illa statim evanuit; simile enim autographo est deprehensum.

Praemittitur de Bartholomaei Beverinii vita et scriptis commentariolum sane elegans, nec tanto viro indignum, quod Bernardus Bertius paucis ab hinc annis in lucem emisit. Ad calcem voluminum adjicientur adnotatiunculae, breves illae quidem nec multae, vel ad confirmanda vel ad emendanda quae a Beverinio dicta sunt.

Lucchesinio, qui haec dictabat, impositum est onus conficiendi adnotationes et praefandi, quod is aegre, ut par erat, suscepit. Licet enim in adolescentia latine aliquantulum scriptitaverit, ab eo tamen tempore totis quinquaginta annis abstinuit. Sed caeteri voluisse cum Beverinio de elegantia certare viderentur, et possent, quod ambitiosius putaretur. Haec autem suspicio in Lucchesinium cadere nequit. Parce igitur, lector, praefationi et adnotationibus: caeteris utere et plaude.

DE

BARTHOLOMAEO BEVERINIO

CONGREGATIONIS CLER. REG.

MATRIS DEI

BERNARDI BERTII

EJUSDEM CONGREGATIONIS

COMMENTARIOLUM

Ex Beverino oppido in Apuanis sito Beverinia familia Lucam commigravit, ibique sedem fixit, quae usque ad haec tempora mansit. Bernardo Beverinio patre, matre Clara Pierottia, qui mercaturam Senatus beneficio faciebant, natus est Bartholomaeus V. Nonas Majas MDCXXIX. bono publico, patriae decori, litterariae reipublicae ornamento, Congregationi Clericorum Regularium Matris Dei, cui postea nomen dedit, splendori summo. De hujusmodi viro commentariolum hoc scribere aggredior, ne ejus memoria, quae temporis vitio apud nostrates ipsos senescere videtur, penitus obliteretur.

Gens Beverinia apud Lucenses civitatis jure jamdiu donata, satis honesta semper est habita, et aliquandiu etiam opibus floruit. Verum pro rerum ac temporum vicissitudine ad inopiam, ut fit, redactum elegeja ad Franciscum Mariam Lercarium, genuensis reipublicae senatorem nobilissimum, Beverinius ipse miserabiliter deflet: qua in elegeja se ligures habuisse avos profitetur. Praeclara indole usus, ingenium nactus ad omnes artes ac disciplinas accomodatum, quod omen est in reliqua aetate sane praeclarum (quamquam hoc tempore ehu quod saepe nos fallit, optima puerorum indole, atque ingenio turpiter neglecto) patris jussu ad Petrum Lombardium insignem ea tempestate grammaticum, ac rhetorem se contulit: qui cum ibi sacris praeesset, in pago, cui a S. Paulo nomen, duobus circiter ab urbe Luca passuum millibus distante, docebat. Vir sane navus ac eruditus, qui cum Beverinii egregia indoles ad omnes artes, ut monuimus, mire docilis esset optime perspecta, suo prae caeteris ingenio delectari videbatur, eoque impensius omnibus iis praeceptionibus imbuebat, quas et ferre, et postulare ea aetas videbatur. Socium inter caeteros habuit Maximilianum Dezza, alterum Congregationis nostrae lumen, sanguine ac propinquitate ingenii sibi conjunctum, qui elo-

quentiae ac doctrinae fama orbi notissimus Vindobonae decessit, quo se tertio ad Caesarem conciones tempore, ut vocant, Servatoris nostri Jesu Christi Adventus, et Quadragesimae habiturus extrema pene aetate contulerat. Summo patris studio Bartholomaeus instituebatur, in eoque spem omnem suam, familiaeque collocarat; nec patris curam filii unquam fefellit industria. Nam velox ille animus quintum decimum agens annum poetices captus suavitate, auri saeculi carmina ita in deliciis habuit, ut iis nedum interpretandis, sed eruditis luculentissimis animadversionibus illustrandis sedulam navarit operam: in quo certe quidem suspiciendum maxime consilium, neutiquam vero exemplum imitandum. Nullo adolescentes in eisdem pervolutandis discrimine, pro latinae linguae nitore, atque elegantia comparanda, cito mores ut plurimum depravant suos, omnemque animi candorem misere exuunt. Ex lutulenta librorum lectione nostris his quoque temporibus, velint nolint, ea mala dimanant, quae rempublicam fere totam evertunt. Parentum proinde plus nimio deflenda incuria; non satis unquam magistrorum reprehendenda ac vituperanda fiducia. Beverinius B. V. ut creditur, protectus ope, quae illum sibi in filium seposuerat, nihil labis, raro admodum exemplo,

contraxit: quod saepius matura jam aetate secum ipse recogitans, eidem cum esset addictissimus, referebat acceptum. Tantum id temporis in latina lingua profecit, ut miraculo peritioribus esset, quibus veterem illam Romam ejus scripta redolere videbantur.

Sexdecim fere annos natus Romam inter nostros cooptandus ivit, ibique religiosam vestem manu P. Dominici Tuccii Congregationis a Matre Dei universae Praepositi sumsit, suique de more periculum biennio, sub disciplina P. Thomae Moriconii, in tyrocinio fecit: viri ambo nobilitate familiae ac sanctimonia illustres. De religiosae vitae institutis, ut nihil omittam eorum, quae ad ejus famae propagationem facere videntur, mire sibi semper placuit, adeo ut quondam ab amico ad resiliendum extimulatus, elegejam ad illum miserit, qua religiosae vitae commoda cum apte ac ornate extulisset, acriter ipsum castigat, quod ad ea se deserenda sollicitarit, quae ipse, si saperet, avide niteretur arripere. Tyrocinio multa cum laude perfuncto, qui se talem praestitit, ut in moribus ejus clarum innocentiae, modestiae, religionis, sedulitatis, industriae exemplum eluceret, votis nuncupatis, philosophiae ac theologiae cursum auspicato ingressus duce ac magistro Joanne Benadu viro in utraque fa-

cultate peritissimo, eam statim de se expectactionem movit, quam postea non explevit modo, sed etiam superavit; quamvis alio illo quidem, ad eloquentiam nimirum ac poeticen, cui natus ac factus videbatur, spectaret. Eo doctore tantum profecit, ut gravioribus par judicatus, posito discipuli nomine, Romae theologicam subinde disciplinam sit tradere jussus, quod summa sui ipsius commendatione perfecit. Hac occasione theses quasdam publice ad vindicandum proposuit: interfuit cardinalis de Lugo, praeclarus ille vir hac in arte facile princeps; laeta fronte ac secunda obmurmuratione audiit, novaque quadam admirationis specie captus, palam fuit professus, se haud unquam melius fuisse responsurum. Quotquot aderant universis sua eloquentia, eruditione, et, quod est praecipuum, doctrina quammaxime commendatus. Sacris Romae initiatus, ibi primum divinis operatus est, cum se rite antea procurasset, ut ad perfectam illam religiosae disciplinae laudem perveniret, quam in omnem vitam retinuit. Sacerdos eximie doctus, probus admodum omnino. Nec in theologica facultate tantum praestantem se Romae exhibuit, verum suum in ingenium immigrans, ad scribenda latina carmina conversus, optimum se poetam ostendit, qui jam ab adolescentia non

aequalibus modo suis in eo genere celeriter antecelleret, verum etiam cum pluribus viris conferebatur, qui poetices laude praestare existimabantur. Quae ad honorem BB. VV. ac MM. Agnetis atque Caeciliae, cui se totum devoverat, edidit, mittam. De congregationis nostrae parente sanctissimo Joanne Leonardio, ejusque praeclarissimis sociis Joanne Baptista Cionio, et Caesare Franciotto, quorum laudes nulla ratione aequari scribendo aut dicendo possunt, ut sileam, idyllium per haec ferme tempora vulgavit, quo B. Virginis Mariae Deiparae laudes comprehendit: id summo plausu exceptum statim ut publici juris fieret omnes pene convicio efflagitarunt. Dictum hoc carmen fuit a Cardonio Camerte patricio, sacro saeculari anno MDCL. nonis augusti in nostra ecclesia magno litteratorum coetu, publica in academia, Innocentio X. pontifice auspice: tanta ejus ingenii foecunditas ac suavitas. Quamvis potissimam diei partem in scholis traduceret, nullo unquam labore, nullaque satietate fatigatus, tantum illi a ludo ut superesset otii curavit, ut diu noctuque haud exiguo temporis spatio auctore boni aevi, quod perpetuum illi fuit, versare quiret, atque ad religionem, ad pietatem, ad humanitatem, ad benevolentiam mire comparatus, juventutis commodo, consan-

guineorum utilitati, amicorum studiis ac officiis deesse turpe quidem ac detestabile semper duxit.

MDCLIII anno Lucam rediit nobilibus adolescentibus, qui ad generis commendationem vitaeque elegantiam, in quo tanti semper momenti fuit, bonis artibus prae caeteris informari debent, non artis, ut nonnulli, factitandae causa, sed serio et operose rhetorices praeceptis imbuendis se dedit, quo in munere paullo plus anno cum dimidio versatus est. Verum Alamanno Pierottio avunculo, ob nonnullas rei domesticae controversias, a Francisco fratre interfecto, solum vertere repente ipsi contigit, hac illac dum vixit exulare coacto, patre, sororibus, ac nepote relictis. Hunc domus suae casum, sicuti summo cum dolore, ita eximia animi constantia pertulit, forte pectus haud imparatum aerumnis gerens. Imperiosus sibi, quemcunque res cogeret, casum subire constituit: desertae ac prostratae familiae oneribus humeros subdere, natura impellente, neutiquam detrectavit. Igitur, cum res familiaris esset satis angusta, ac difficultatibus premeretur undique, ut pene quo se verteret haud succurreret, subit animo, opportunitate oblata, clericorum archangeli Michaelis collegium, quod seminarium vocant, humanioribus informandum litteris suscipere, mercede proposita, qua

in commodum patris consanguineorumque ut uteretur, a romano pontifice impetravit. Provinciam hanc salebrosam admodum multiplici de caussa aliquot annos egregie rexit, donec a congregationis universae praeposito Francisco Guinisio viro gravissimo, cum paucis (multis de causis, quas referre longum aeque ac molestum) comparando, Romam ad nostratum juventutem in theologica facultate erudiendam evocaretur; qui, ne quo domus suae damno fieret, quae fere tota ipsi inclinata resederat, opportune cavit. Romam redux, quam jam antea sui nominis fama compleverat, ingenti plausu fuit exceptus: nec defuere, qui ei et plura et magna ominarentur: quae opinio usque eo crevit, ut cum Roma discedenti Lucam repetere opus fuit, interceptum suae fortunae cursum aegerrime tulerint, ac pene clamitantes deflerent multi. At ille minime ambitiosus, rerumque humanarum contemptor, satis semper habuit aliena voluntate vivere, se suaque omnia superiorum arbitratui, mora haud ulla interjecta, committere. Christina Augusta Svecorum regina, femina, si qua fuit unquam, aut esse potest, omni virtutum genere ornatissima, Romae tunc temporis agebat; apud quam Beverinius tanta in existimatione erat, ut summis illum laudibus praedicaret, eique ipse etrusca

quaedam carmina dicavit, quibus non parum Christina delectabatur, quamvis, ut vere dicam, saeculum illud ex parte redoleant. Antea Lucae ediderat D. Caeciliae vitam pluribus adnotationibus illustratam, cum ad eruditionem, tum maxime ad religionem eidem conciliandam, atque legentium mores informandos: hanc, tamquam exemplum sibi ad imitandum propositum, prae manibus ut haberent quotquot SS. acta scribunt, Magliabechius (quod nomen boni Superi!) optare se dixit. Hieronymus cardinalis Bonvisius Lucensium episcopus, acer ille sui temporis ingeniorum aestimator, pro ea, qua pollebat, gregis sui eximia cura, fortunae loco duxit ad conciones, quae more, antiquitus tradito, pro Christi Domini adventu in templis habentur, sua in martiniana basilica anno MDCLX Beverinium accire. Quod, dicendi genus grave elegans atque ornatum sequutus, ingenti animarum bono praestitit cumulatissime. Ipsi postea cardinali fato functo, luculenta atque exaggerata oratione typis donata, eodem in templo, maxima literatorum hominum celebritate ac frequentia, parentavit. Funebris istiusmodi laudationis exordium oppido suspiciendum, quo nihil fieri potuisse videtur ingeniosius.

Interea lucensis senatus, cui juvenum institutio summae semper curae fuerat, pro ma-

ximo, quo in Beverinium ferebatur, studio, consulto suo amplissimo atque honorificentissimo, supremam eloquentiae cathedram, a Guidonis Vanninii, egregii sane viri, lucensis ac romani civis, haud immaturo interitu per annos quadraginta vacuam, ascendere jussit; secum prudentissime reputans, a recta juventutis institutione reipublicae salutem ac dignitatem maxima ex parte pendere. Suo e ludo praeclari quamplures exiere viri, qui rebus publicis admoti fidem, industriam, sedulitatem, imo et eloquentiam probarunt suam. Incredibile dictu, quae quantaque bene excogitarit, ac sapienter sit molitus, ut tantae de se motae expectationis apprime, quod et contigit, responderet. Ejus animo stimulos in dies addebat et principis amor, et beneficentia senatus, cui in animo quoque fuerat indigenti Beveriniae domui hac ratione consulere. Curas et cogitationes suas huc omnes contulit, omnibus instructus naturae atque industriae praesidiis. Pascebat sustentabatque animum hominis, et ad omnem laborem operamque firmabat, publicae utilitatis flagrantissimum studium, urgebatque magnopere, ut non tam literas auditoribus, quam virtutem et honestatem, quandocunque posset, quibusque rebus posset, prout religiosum praeceptorem decet, assidue diligenterque commendaret, posce-

ret severe, accurate exigeret: ex his nemo fere nunquam fuit, cui hoc tantum pene nomine ac ratione, facilis ad omnia munera, ad honores, ad dignitates aditus non pateret. Ad sacros porro ordines, ad quodlibet religiosorum hominum institutum Beverinii discipuli, haud ulla adhibita prece, nedum recipiebantur perquam libenter, sed invitabantur ultro cupidissime: adeo ejus nominis fama omnium animis insederat. Hoc in munere longe gravissimo obeundo antea egregiam sane quidem navarant operam viri literarum laude praestantissimi, quos inter e Foro Julio se mihi prodit Robertellius graecis latinisque literis perquam celebris, qui, Aonio Paleario (invisum ac nefastum nomen) amoto, Lucae humaniores literas publice docuit; nec non Petrus ille Nocetius Bondeliae natus, cui tantum Lucenses PP. detulere, ut Lucensium civibus accensendum putarint; quo civitatis jure ipse suique uterentur quam qui optime. Per ea ferme tempora non deerant, neque impraesentiarum desunt, qui ingenio suo plus nimio indulgentes, eloquentiam caeterarum facultatum apud Graecos Latinosque facile principem, tamquam nugatorium aliquid fastidiunt. Rerum quippe, veluti ex ara et tripode, accuratam habendam esse rationem, non verborum, pronunciant; et si in eos incidant

rhetores, qui aliter sentiant, nasum contrahunt, intorquent os, ac pene illis, ac si adolescentes misere deciperent, dicam impingunt. At Beverinius, qui probe rem norat, sibique ab adolescentia suaserat, eloquentiam potissimam esse oratoris virtutem, auditorum suorum auribus ingerere ac inculcare nunquam destitit, verborum curam iis quammaxime suscipiendam, eorumque aetatis tam proprium esse nihil, quam diligens ac diuturnum verborum studium. Quae est medius fidius, en ipsa fere ejus verba, tam vulgaris, tam minuta, ac toties repetita sententia, quae si efferatur Tulliano veluti colore picta, non in aliam statim migrasse naturam diceres? Eo iccirco nervos omnes intendit, ut in suis Tullianum illud dicendi genus efficeret, quod tantopere et pulchritudine capit, et suavitate delectat: exercitatione atque aemulatione excitare illorum ingenia nitebatur: unica fere ad eorum profectum compendiaria via; nunquam a se ipso descivit. Non multa, quod est, ex Plinii sententia, in veteri proverbio, sed ut multum legissent, qui rethoricis studiis vacarent summopere perpetuo curavit. Praeclarissimo ad posteritatis exemplum documento, in juventutis commodum ex triumviris latinitatis Plauto, Terentio, ac Petronio Arbitro formulas collegit, quibus itali-

cae perquam apte ac concinne respondent, ne immaturae illi aetati atque innocentiae fraudi ac noxae unquam esset ex lutulento aliquo fonte quidquid hujusmodi haurire; adeo nihil ipsi intactum atque intentatum, quin ut ingenia artibus, sanctitate mores excoleret. Opellam hanc Lucae typis Pacii emisit: alio alibi a Beverinii nomine prodiit, malitiose an casu, nobis incompertum.

Neque vero tanto viro defuere, qui ejus nomini ac gloriae adversarentur, ita ferente literarum natura, ut cum valde luceant, infirmiores oculos offendant. Jactari unius opera in vulgus est coeptum aliena Beverinium opera pro suis venditare; et, cum obtrectatores, ut fit, pronis plerumque auribus exciperentur, ejus fama ne imminueretur, amici valde anxie verebantur. Forte Clementis Noni pontificis inciderat mors, et epicedium in ejus funere, summo plausu commendatum, Beverinius ediderat. Dominicus Bartolius, poeta illo suo aevo illustris, quo perquam familiarissime utebatur, ut calumniam invidiae plenam amoliretur, plurimos, inter quos audacissimus ac impudentissimus ille, qui tam maligne obtrectarat, accersitos, in amoeniorem quemdam locum deduxit, impetrato jam ante a Beverinio carmine, quod legere aggresso, statim ingens exoritur plau-

sus, atque ab illo major, qui Beverinium carpebat invidiosissime. Putarat enim hac ratione Beverinii famae obviam ire, ejusque nomen exagitare. Forte in eumdem invidia hujusmodi pro re nata eruperat. Laetus Bartolius, scias velim, ad eumdem versus ait, lucubrationem hanc Beverinii esse; et ne quo pacto dubites, inspice: oculis ejus chartam admovit manu illius scriptam, lituris deformem, atque hac illac castigatam. Rei novitate defixus protinus expalluit, ne hiscere quidem ausus; se se ex illo conventu proripuit, dedecore tam grandi edoctus suae impotenti moderari linguae; atque publicum pro viribus in posterum cavit. Ab hujusmodi insectatione ne tantillum quidem maculae ejus nomini haesit; quod plane literati homines novissent, unde originem duceret: ingenti ei potius honori fuit.

Verum mortalium ingenia insita quadam mobilitate saepe ducuntur. Anno MDCLXXIV de Beverinio a scholis amovendo, eique Laurentio Adrianio Pisis ecclesiasticae juventutis moderatore sufficiendo in senatu agi coeptum. At Franciscus Tegrimius, ornatissimus senator, cum de eo retinendo verba fecisset, haud ultra processum, aucta illi subinde mercede, cum PP. esset nunciatum graecas insuper litteras adolescentes et docuisse et docere. Ludo illi

praefuit ad annum usque MDCLXXXVI quo est mortuus, scholae rebus, ut monuimus, tam bene constitutis. Plerique omnes forte mirabuntur unum eumdemque hominem, tot difficultatibus pressum, tot muneribus implicatum, corporis valetudine non satis firma, suo regulari instituto ne quid deesset admodum sollicitum, eo evasisse, ut in tot tantisque facultatibus summa cum laude fuerit versatus; adeo ut, de quavis re sermo incidisset, omnibus vel cumulate satisfacere quiverit. Acutum illud in eo ac peracre ingenium cum judicii maturitate conjunctum, memoria, qua valebat plurimum, temporis summa cura, cujus ne tantillum quidem sibi infructuose elabi patiebatur, ad omnia, quamvis abstrusa, atque inter se longissime dissita aptum ac comparatum effecerant: expedita sua quadam ratione, ac celeritate ingenii, quod mente conceperat quacumque aetate literis mandare consuevit. Eloquentissimus hinc orator, hinc cultissimus poeta, facilitatem illam est assequutus, ut merito scriberet: nec prope tam verbum, quam prope versus erat. *Philosophus perquam acutus, theologus gravissimus, historicus elegantissimus, ecclesiasticarum legum, omnis antiquitatis scientia summopere clarus, atque ornatus omnibus est habitus: quare muneribus laboribusque nunquam vacuus, mune-*

ra muneribus, labores laboribus intexere pene perpetuum illi fuit. Nulla in his praedicatio sui, nulla operae atque industriae venditatio; secus ac nonnulli ad intemperantiam usque et satietatem, recte factorum conscientiam sequutus, non gloriam. Permirum profecto videtur citra valetudinis dispendium hoc ei contingere potuisse: quippe qui tempora, quae alii ad animi quietem et corporis sibi concedi volunt, scriptioni et contemplationi diu noctuque dabat. Verum anno MDCLXXXVI. a coeli gravitate mense majo coepit vehementius conflictari. Attamen libris de more abditus agebat; cum repente ardenti febre correptus decumbere illi opus fuit: sibi, omnium studiorum suorum spe praecisa, mortem instare praesensit. Triste nuncium per urbem cito vulgatum omnes ingenti luctu affecit, eos praesertim, qui illi fuerant totius fere vitae amicitia studiis atque officiis conjuncti. Marius Florentinius, medicus illa aetate perquam celebris, Francisci filius, vir in medica facultate nedum et ipse praestans, sed sacrae egregia antiquitatis laude commendatus, omni virium contentione in id incubuit, ut eum a tanto morbo relevaret: quod ut contingeret, omnes uno pene ore summe flagitabant. Ast, ut Ovidius ait: non est in medico semper relevetur ut aeger. (*Lib.* 1 *de Ponto*

ep. 3.) *Eodem ipso, quo decessit die, oppido recreari adeo visus est, ut ex necessariis, amicis, sodalibus plures illum gratulatum adierint, quos animo leni ac communi, hilari laetoque vultu singulos excipiebat humanissime. Vesperi, ingenti repente excita bili, quam cum neque mittere, neque sedare ullo pacto potuisset, atrocibus motibus ac distortionibus excruciatus, moerore aeque ac stupore quotquot aderant defixis, extinctus est IX Kal. novembr. MDCLXXXVI. annum agens LVII. mens. V: documento; quam incertis casibus res humanae versentur; non raro mortem tunc nobis perquam propius adesse, quando longius distare arbitramur. Ereptus non adhuc senectute prima, qui ne extrema quidem decedere sine magna literarum jactura, literatorum querimonia potuisset. Donec stabit virtuti honos, non deerunt memoriae tanti viri laudatores. Ipse se, qui mire sapiebat, vereque prudentia nitebatur, vana spe lactari non siverat unquam. Quare mature christianis sacris rite procurari voluit eo animi sensu, ea pietate ac religione, ut lacrymas adstantibus excierit. Inerat illi ab adolescentia eximia in Deum pietas, egregia voluntas. Postridie sua in ecclesia, funus omnium ordinum coetu prosequente, tumulatus est; civibus pene cunctis tantum decus patriae ereptum*

deflentibus. Non defuere, qui a vena in capite scissa illum mortuum arbitrati sint. Interitus hujus fama ad plures Italiae urbes delata, aegre quidem admodum accepta fuit, Florentiae praesertim, Bononiae ac Ravennae, quo olim sua in lauretana peregrinatione diverterat, ab antistite illo vigilantissimo, suique amantissimo Fabio Guinisio summa comitate ac liberalitate exceptus, apud eumdem per aliquot dies diversatus. Tribus hisce in civitatibus, ad ejus nominis gloriam propagandam, habitae sunt academiae: forte et alibi: at nescimus. Quamvis scholis addictus, praeceptoris muneribus diu noctuque distentus nulla profecto in re disciplinae regulari deerat, tum in concionibus, pro ut se dabat occasio, habendis, tum in christifidelium confessionibus excipiendis, aliisque peragendis, quibus suo pro instituto Deiparae Sodalitati adscripto homini vacare est opus. Congregationi, cui a SS. Trinitate nomen, per annos multos praefuit: quod munus aliud longe gravius excepit: nobilium virorum conventum summa religione ac sapientia apud nostrates institutum sibi moderandum suscepit: quo in munere ad mortem usque mansit, cum egregiam eidem operam impendisset; ut virtute praestarent ii, a quibus virtutum exempla in caeteros ordines dimanare debent,

seque totos reipublicae bono devoverent, summa fide, summo studio, summa aequitate eamdem temperarent, administrarentque: quem morem a majoribus traditum, sancte posteri tenuere. Neque mirum cuiquam videri debet; praecipuis congregationis nostrae muneribus atque praefecturis talem tantumque virum perpetuo caruisse: his adversatus semper est: ne secus fieret nullum unquam non movit lapidem. Congregationis igitur moderatores, ejus ne obsisterent studiis, ei obsecundandum duxere. Mabillonius, qualis quantusque vir ignorat nemo, rei literariae commodo, e Gallia in Italiam advectus, praecipuas illius urbes lustrabat. Fama, quae de Beverinio erat, abreptus, Lucam iter instituit. Literati quoque alii plures Lucam, eum de facie noscendi salutandique causa, venere; tantum ejus existimatio apud exteros creverat. Quibus cum abunde atque cumulate satisfecisset, domum reversi magna de eodem apud suos praedicabant. Tantis in se studiis nihil Beverinii animus movebatur: ingenium illud bono sidere natum; sui quam maxime potens animi moderationem, aequabilitatem per omne tempus tulit prae se: hujusmodi veluti fundamento vera virtus nititur: his destituta ornamentis contemnitur. Rapiebat Mabillonii animum sua illa latina loquutio ple-

na, aequabilis fluens, qua, cum magnis de rebus, tum de exiguis vulgaribus ac minutis, tam prompte atque expedite, ac si vernacula loqueretur, apud ipsum disserebat. Summa inter se necessitudine conjunctis, datis utrinque acceptisque pluribus benevolentiae significationibus, Luca decessit, delibatis antea ingenti voluptate Beverinii de Lucensium rebus Annalibus, quorum exempla regia in bibliotheca Parisiis recondenda curavit: eximia laude prosequutus quae jampridem de Ludovico XIV. potentissimo maximoque Galliarum rege, suis carminibus latine scripserat, novum in eumdem cudere carmen hortatus est, quo illi gratularetur plauderetque Nannetensi ab eo nuper abrogato edicto, ab Henrico IV. pro misera illa temporis conditione, talia poscentibus haereticis indulto. Annuit Beverinius: at gravissimo morbo implicitus, qui postremus illi fuit, in id incumbere nequivit, quod epistola ad Mabillonium pridie sui obitus die data idemmet testatur. Moerore summo uno eodemque tempore cum mortis nuncio has literas aliena manu scriptas accepit, suoque italico in itinerario inseruit. Has nos hic quoque exscribendas duximus, ut quisque noscat, qua elegantia sanus latine scriberet, qui morti tam proximus talia dictaverit.

JOANNI MABILLONIO

BARTHOLOMAEUS BEVERINIUS

S. P. D.

Scribo aliena manu, meo corde, P. R. Reus promissi carminis, quo maximi omnis memoriae regis pietati plauderem, jamdiu me exsolvissem, nisi ineluctabiles causae volenti conantique intercessissent. Ab ipso discessu vestro, ipsis Kalend. maii, tam dirus aestus pertinaci vapore ac siccitate totos quinque perpetuos menses adeo Etruriam nostram corripuit, ut afflicta valetudine, fractisque non corporis modo, sed etiam animi atque ingenii viribus, studia omnia intermittere coactus sim; iis tantum exceptis, quae publicae professionis munus exigit. Pluries tamen admovere manum ingenti operi conatus sum, sed in ipsis experimentis conatus destituebant, nec quidquam occurrebat rege tanto dignum, et quo, nedum supra ceteros, sed infra me quoque non essem futurus. Quippe, ut optime nosti, carmina ingenii ac spiritus florem exigunt; nec quicquam in eis placere potest coactum, et expressum, et quod

prono et labente cursu sponte non fluat. Itaque rejeceram hanc curam in remissiores autumni dies, quibus per solitudinem et otium in amoeno aliquo recessu abditus, mihi et musis vacarem. Sed talia meditantem sub ipsas Kal. octobr. febris ardens me repente corripuit, quae maligno vapore venas totumque corpus adeo succendit, ut intra paucos dies me ad mortis portas adegerit. A quibus divina primum clementia, quae pias aures sodalium precibus votisque porrexit, dein studio cl. viri Marii Florentinii, cujus virtutem praesens vidisti, revocatus vivo; sed ita vivo, ut vix languidum spiritum aegre traham. Itaque omnis mihi spes plane concidit moliendi aliquid, quod tanto rege dignum, nostrisque jam editis opusculis non indignum futurum sit. Quod utrumque scio R. P. et regiae gloriae, et quantulaecumque famae meae consulentem remissurum.

Habet rex maximus geminum et voluntatis et ingenii mei pignus: duplex, inquam, carmen, quo et Mediterraneum Oceano committenti, et e Batavo bello revertenti plausi; quibus tamquam duobus documentis, omni aere perennioribus, non illius, sed mei nominis famam consecravi: ut proinde, te praecipue sequestre, veniam facile impetraturus sim, si aegrum ingenium ejus obsequio impendere minime ae-

quum existimaverim. Habes R. P. contumaciae meae causas; quas si carminis loco Itinerario inserere non dedignaberis, summi honoris loco ponam. Vale una cum doctissimo et optimo patre *Germain*, quem utrumque complector animo, ac deosculor. *Valete, par animarum* (*) *quales neque candidiores terra tulit, nec doctiores, nec puto latura est*. Hanc ex lectulo dictabam, non minus auctore suo languidam aegramque, sed quae summa in regem maximum veneratione, summo in vos amore caleat vigeatque. Scire quoque vos velim, carmina etrusca propediem, multum aucta, Venetis typis tertio proditura. Conciones et epistolae aliquando silebunt. Annales Lucenses in pluteis jacent, tempusque opportunum expectant. Lucae X. Kalend. novembris, Anno MDCLXXXVI.

Ingentem auri vim Ludovicus XIV. Galliarum rex ei se responsurum spoponderat, qui Lutetiae novae suae amplissimae domui inscribendum elegantius ac suavius distichon condidisset. Beverinius invitatus, suum et ipse cudit misitque distichon perquam elegans sane qui-

(*) Mabillonius et Germain. Epistolam dedit Mabillonius in Itinere Italico, sed ea, quae literis ut ajunt Italicis hic impressa sunt, praetermisit, ne proprias laudes ostentaret.

dem ac suave; cui tamen, primis alteri concessis, secundae tantum delatae: jure an injuria, nostrum non est judicia ferre. En Christophori Juanovic Epirotae distichon supra cetera commendatum

> Urbi par domus, urbs orbi, sed neutra triumphis
> Et belli et pacis par, Ludovice, tuis.

Beverinius autem sic.

> Ampla domus, sed Rege minor: struxere triumphi;
> Pax habitat, vestit gloria, servat amor.

Plurium literatorum hominum amicitia floruit, Mabillonii, Germain, Magliabechii, aliorumque, quorum alteri inter elegantiores ac cultiores poetas illum recensent, alteri oratorem eximium eum nominant, nullumque illo melius latine scripsisse. In suis lucubrationibus qui honorifice Beverinii mentionem instituunt, nemo in literaria historia mediocriter eruditus ignorat; quos a Sarteschio, Mazzucchellio, aliisque memoratos recensere studio brevitatis non vacat, praeter unum Vandembroekium, a quo omnis hetruscae ac latinae elegantiae princeps Beverinius appellatur; quod unum sane fuit, cum perraro accidat, cur de Bembo

tam ample tam magnifice Casa scripserit. Miraculo enim pene simile sunt qui asserant, si unus idemque duabus praesertim linguis, et prosa oratione et versibus scite atque praeclare utatur; quod Ciceronem ipsum expertum negant assequutum. In tam finitimis artibus tam dissimilis, immo contraria oratorum et poetarum natura. Usu et exercitatione fit, ut vel oratorie dicamus, quod poetae vitio maxime datur, vel contra poetice, quod quidem oratorem parum admodum decet. Summae cujusdam intelligentiae, atque ingenii bene subacti utrumque ornate, copiose, uno verbo, perbelle, ut Beverinius, praestare; ut in aliena veluti jura uter non irrepat, in alienum campum haud excurrat. Christina Svecorum regina, cui, quod diximus, erat in primis carus, ejus indole et doctrina mire capta, saepius poeticam aliquam lucubrationem ab ipso petere, qua animum oblectaret suum, consueverat, ejusdemque consuetudine utebatur jucundissime.

Otium quidem ipsum non fuit illi unquam otiosum, ut in Planciana de se Tullius more suo declarat. Antiquitatum romanarum studio, praeter eloquentiam ac poesim, quicquid superesset temporis, gravioribus disciplinis non neglectis, tribuebat perquam libentissime. Eo-

rum enim nunquam probavit consilium, quibus quamvis tempus viresque suppetant, uni alterive facultati veluti sacramento devoti, cetera, etsi pulchra atque egregia, fastidiendo despiciunt. Illustria antiquorum facta, quorum inopia aetas nostra voluptatibus assueta nimium fortasse laborat, quantum, praesertim ad excitandum juventutis ingenium conferunt, nemo unus ignorat. Dum ruri animi causa, ut fit (Romae tunc temporis agebat) olim immoraretur, Albanum ad Ciceronis, ut dicunt Villam visendam se contulit: ad cujus aspectum Ciceronis ipsius ingenii recordatione animum suum adeo commotum sensit, ut parum adfuerit, quin lacrymis obortis pene ad illum procubuerit. En sua in Elegeja Albanum *inscripta Beverinii verba.*

> Hic lacrymans magni ingenium Ciceronis adoro,
> Par sibi quod tantum maxima Roma tulit.

Quod antea quoque M. Seneca senserat: suae amplitudini par unum M. Tullii ingenium habuisse romanum imperium. Summa ejus fuit in omni vita morum integritas atque modestia; cujus studio maxime inflammatus, si verbum ullum a rectitudine aberrans alicui forte excidisset, verecundia statim ac rubore perfu-

sus acrioribus verbis illius impudentiam cohibebat, omni creandae sibi invidiae metu abjecto; quod illi apud omnes auctoritatem ac reverentiam conciliabat. Joannes Paulus Oliva Societatis Jesu, cui universae praefuit, ornamentum, Beverinium cum vidisset, eumdemque esset alloquutus, ejus animi candore veluti miraculo captus, inspecto accurateque expenso ingenio, Bernardo Patri gratulabundus: Natum tuum P. Bartholomaeum, *ait*, prospiciens, mihi visum est angelum religiosis vestibus indutum videre. Quaenam illius modestia! Quanta ejus prudentia! *Forte apud Lucenses verbi Dei praeconem Oliva tunc temporis agebat. Religionis maxime studiosus, nedum ab haereticorum, sed quorumcumque vetitis aliorum scriptis sibi semper perquam diligenter cavit; quamvis ei sapientia eximia ac probitate ornato tam ex facili superiorum facultas vel nullis coarctata legibus foret. Michaelis de Molinos errores, non adhuc detecta fraude, seu mavis, turpissimo nudato scelere, quamvis ambagibus quaquaversus callidissime implicatos oppido agnovit illico, cum in nescio quid ipsius libelli incidisset; quos adnotavit, statim pronuncians, fieri haud posse, quin Romae a Pontifice Maximo, summo illius probro, non damnarentur: quod*

plane admodum Innocentio XI. pontifice accidit. Cum ex nobilium numero, in tanta illa, quae nunc quoque saeculum tenet, opinandi licentia, quis religionis causa in Beverinium esset iratus, quasi ab illo offensus, cum maxime illius bono vellet prospicere, quadam die, dum curru vectus animi causa urbe exiisset, Beverinium equo insidentem offendit. Aurigae repente mandat, ut curru in eumdem immisso in foveam ipsi subjectam una cum equo praecipitem det; quod irrito forte fortuna conatu evenit. Furore propemodum amens e curru desiliit, atque acerbissimis in illum verbis invectus, qui ob malum in religionem sensum licentia linguae grassabatur, parum abfuit, quin fuste, ne dicam gladio, eumdem appeteret. Bili concita magis quam expleta, se e conspectu, eo tam male accepto, proripuit. Aequo animo institutum iter Beverinius perrexit; senserat enim qua de causa tam turpiter atque ignominiose esset habitus. Ille tandem conscientiae stimulis actus veniam ad eumdem exoratum accessit; qua statim impetrata, haeresim quoque ejuravit suam, ac pace conciliata uterque laetari est visus.

Statura fuit plusquam mediocri, fronte exporrecta, facie ad modestiam composita atque suavitatem, quae aspicientes statim alliceret,

atque ad benevolentiam conciliaret, dignitatem gravitatemque totius corporis habitudine praeseferens. Sermo blandus quidem et comis; at prudens, et ad rem quamlibet mire aptus atque conformatus. Hinc cum se alicui daret, omnium animos tenebat adeo, ut beati haberentur, quibus ab ejus latere ne quidem unquam discedere esset datum: quod Mabillonius, aliique e longinquis provinciis Lucam advenientes experti, a colloquio ac consuetudine ejusdem divelli aegre admodum patiebantur. Mabillonio nostra in lustranda urbe, antiquitatis monumentis eruendis volutandis excutiendis, perpetuo haesit comes. Juvandis omnibus, nedum amicis, natura ipsa comparatus nil potius habuit, quam de quibusvis bene mereri, vel sponte quaesitis omni opera benefaciendi occasionibus; haud dubie operam non ostentans, ut fere quisque esset ignarus per quem crevisset. Beneficiorum porro in se memor, iis rependendis ingenium suum velut exhaurire videbatur. Post suum e vita discessum literariae rei triumviris egregium ac decorum maxime sua optime in provincia navatae operae testimonium Beverinius tulit, cum de successore deligendo publice in senatu esset agendum, qui sedulitate, industria, fide eadem ac ille premens vestigia, luctum ac dolorem eo

amisso conceptum leniret, minueretque, si fieri posset, desiderium. Extat penes Sarteschium, sua in Bibliotheca de Congregationis nostrae Scriptoribus, libellus hac de re senatui exhibitus. Id memorasse satis.

Beverinii opera cum edita tum inedita, quae non ut legantur modo, sed pene edi- scantur, suo quodam ferme jure requirerent, addere, talia quaerente saeculo, hic oporteret. Fecissem libenter, ni factum ab aliis cumulate fuisset. Attamen de his et ego nonnulla scribere non ab re arbitror futurum. Virgilii Aeneidon difficiliori metro, ejusdem alternis sonus, italicum summa fide ac suavitate reddidit, cunctis politioris literaturae cultoribus perquam maxime probatum: vulgatum saepius, nuper Neapoli prodiit opera viris cl. de poeticis studiis optime meriti, qui vitam paucis comprehensam satis ornatam apposuit. Opus hoc casu inchoatum XIII. tantum mensium spatio absolutum, edidit primum Lucae anno MDCLXXX. typis Hyacinthi Pacii Leopoldo I. Caesari Augustissimo dicatum; communicato antea consilio cum pluribus primi subsellii viris, qui omnes ejus lateri stimulos addere non destitere unquam, donec in publicum jam emissum, suis cuique datum fuit manibus terere.

Ejusdem opera jampridem, anno nimirum MDCLXXIV. Lucae quoque sua latina carmina vulgarat, Fabio Guinisio Ravennatum archiepiscopo inscripta, quae fausto sidere in publicum delata, uberrimam laudum segetem auctori peperere. Facilitate Ovidium, Catullum elegantia imitatus. Alia quaedam ejus inter poetarum Italorum illustrium II. volumine latina carmina extant. Syntagma de ponderibus et mensuris, *una cum tractatu* de Romanorum comitiis *a sodalibus ex lucubrationibus ejusdem excerptum non modo in Italia, sed extra Italiae fines prodiit. Ingentem et ipsum existimationem ac nomen Beverinio apud omnes comparavit, praeter unum praesulem Octavium Antonium Bayardium parmensem; virum cetera eruditum: qui si sibi constare voluisset, suis in Herculanensibus exercitationibus de egregio Beverinii opere, quod toto fere orbe summos viros praecones invenit, inepto sale haudquaquam scripsisset, ac si veluti confusam atque inconditam farraginem tantus vir nobis obtruserit. Id opus Lypsiae edidit Joan. Georgius Valchius, nova de re nummaria praefactione adjecta: Neapoli vero Sebastianus Paulius, vir eruditione ac eloquentia praeclarissimus, quibusdam adnotationibus, deque nummis Byzantinis opella belle*

addita. Panegyricae orationes, conciones, lectiones sua sane fama, ac laude circumferuntur: quae, quamvis aliquid illius saeculi, quod necessum, sapiant, fluentem tamen eum, aequabilem, dulcem, oratorem longe peritissimum Beverinium referunt. Id causae fuit, cur superstites sodales colligerent atque vulgarent. Sebastianus Paulius lacteum eloquentiae flumen, vel me audiente, Beverinium vocitare consueverat; cujus judicium quanti, hac potissimum in re, sit faciendum, omnibus compertum. Nil igitur mirum, si alieni quidam instituti sectator, qui memoria, gestu, totiusque corporis habitudine valebat, easdem pronuncians, magnum sibi ubique gentium nomen audientiamque aliquando fecerit. Beverinius, latere non satis firmo, quadragesimae, ut dicunt, tempore a concionibus perpetuo abstinuit.

At vero, ut quaedam de ineditis illius operibus in medium proferam, sese primi offerunt Lucensium rerum annales, ejusdem ipsius manu scriptì, in libros XV. distributi, qui si ederentur, quod sive temporum necessitate, sive pecuniae inopia, sive aliis de causis, quas nihil attinet commemorare, negatum, non est qui dubitet, quin ejus nomen cuncta ferme Europa increbresceret. Pene quisque miraculo

haeret in his pervolutandis, summamque inde voluptatem capiat necesse est, qui latine sciat. Livium ac Tacitum refert, hominum latinae linguae peritorum judicio; easque quoque conciones adhibet, quarum hercle ne Livium quidem ipsum pigeret; rerum tantummodo copia ac majestate victus; ut pluries, summa animi voluptate, viros, qui recte poterant judicia ferre, sancte affirmantes audivi. Viginti supra centum extant latinae orationes ab adolescentibus nobilibus alternis mensibus recitatae, cum decemviri magistratum inirent. Argumentum idem de more; at non eadem certe argumenti tractatio. Rhetoricis institutionibus missis, una cum aliis longe pluribus, praesertim epistolis ad Italos quamplures, Gallos, Germanos, eximios literarum cultores, opellas latinas duas a Carolo Ant. Erra suo in commentario virorum Congregationis nostrae pietate ac doctrina illustrium memoratas, praelectiones nimirum in M. T. Cicer. orationem pro Lege Manilia, atque Artis magnae sciendi epitomen ex Raymundo Rullo, et Jacobo Kircherio, non incongruum reor hic referre. A Punico secundo bello IV. ex Livii historia libros Italicae vertit tam luculenter atque ornate, ut suae ipsius vernaculae, non alterius scriptoris et linguae esse videan-

tur. De Turcico vero bello, deque victoriis a Leopoldo Romanorum Imperatore Augustissimo relatis, scribere meditantem mors illum intercepit. Ex epistolis ad Redium, tanti nominis virum, datis eruditissima est, quae de quadam verbi, seu tituli explicatione legitur, occasione sumpta a florentino, seu mavis italico Lexico id temporis edito. Ut Julio Card. Spinulae, magnum sane nomen, Lucensium episcopo obsequeretur, Anselmi ejusdem civitatis antistitis, jamdiu inter Divos relati, lectiones suo, ut ajunt, in officio recitandas ex ipsius vita, atque illius aevi scriptoribus, concinnavit. Has Romam de more missas Casanatae Cardinali propositas Sac. Rit. Congregatio probavit, confirmavitque. Verum cujus opera, qua de causa, non eo prorsus nitore atque elegantia, qua Romam allatae, Lucae redditae fuerint, nescimus: aegre admodum tulit, ac perdoluit Beverinius. Sed pacis studio, quo nihil illi sanctius, sua usus modestia acquievit. Pro sua in Valerium religione, lucensem et ipsum antistitem, pro Christianis institutis, Nerone imperante, securi percussum, thure atque aris propterea consecratum, lucubratiunculam condidit, qua rationes recte ac solide excogitatas in medium adducit, cur Valerii nomen in Romano Mar-

tyrologio desideretur adhuc. Utrum, quam quidem linguam plane callebat, quidquam unquam graece scripserit, ignoramus. Utinam ne tam cito fato concessisset: uberiores profecto atque locupletiores studiorum suorum varios fructus, quos sibi animo proposuerat, nobis percipere fuisset datum. Pulchrum meminisse. Nam doctorum hominum opera elegantia quidem, eruditione, doctrina, non mole ac pondere, metiuntur. Opportunum admodum meminisse: non enim adhuc ei mens erat a sole et a pulvere discedere, laboris mire patienti, ardentissimoque opis cuicuimodi aetati ferendae studio mire flagranti. At supremo illi Numini, ejusque rerum omnium arbitrae providentiae, nobis submisse acquiescendum.

BREVIARIUM LIBRI

Lucae origo vetustate obscura. plures de ea opiniones rejectae. verior asserta. Scriptoris mens. Conditor urbis incertus. sapientiae laudatus. Civitatis situs. Lucae nomen unde. paulatim crescit. Thusci primi Lucam obtinent. dein Ligures. Lucensium fines olim ampliores. Thuscorum veterum reip. forma. an Luca ex XII. urbibus fuerit, incertum. Ligures Lucam Thuscis adimunt. Romanae reip. incrementa. Domitius Calvinus Lucam dolo capit. Romani a Lucensibus militares capiunt ordines. Sempronius consul bello punico Lucam se recipit. Lucam colonia civium romanorum deducta. de coloniis plura. qui triumviri eam deduxerint. Luca etiam municipium. lis de finibus inter Lucenses Pisanosque. Roma discordiis civilibus laborat. Caesar, Pompejus et Crassus, Lucam conveniunt. quae pactiones inter eos initae. Castronius Paetus lucensis floret. Caesar Augustus pacem toto orbe componit. Jesu Christi ortus et mors. ejus religio a discipulis ipsius per gentes propagatur. Petrus Lucam Paulinum destinat. Lucenses primi Thuscorum Christo nomen dant. Amphitheatrum Lucae extruitur. Nero primus in christianos saevit. eo jubente, Paulinus Lucensium epi-

scopus interfectus. sub ejus tutela Lucenses florent. An Dionysius Areopagita Lucam venerit. Eutychianus, ac Lucius pontifices a quibusdam lucenses crediti. Lucenses Constantino Magno favent. nummus aureus in ejus honorem percussus. Luca Flavia appellata, Theodorus civis et episcopus lucensis floret. Barbari romanum imperium invadunt. Follarius episcopus lucensis in D. Ursulae comitatu. Gothorum gens quae, Alarico duce Italiam invadit. Theodoricus Italiae rex creatur. Gothorum imperium Etruria accipit. Gothorum regum series. Narses regnum illorum Totila caeso delet. Lucam obsidet. quae in ea obsidione evenerint. septimo mense illam obtinet. Longobardos iratus in Italiam vocat. quae ea gens. et unde. Alboino duce, Galliam Cisalpinam occupat. inde Thusciam. eorum reipublicae forma. Etruriae dux Lucae sedem habet. Leges Longobardorum. Pertharitus et Cunipertus divi Frigdiani basilicam extruunt. Divus Frigdianus lucensis episcopus. cursum Æsaris prodigio mutat. D. Silaus ex Hibernia Lucam venit. item Richardus Anglorum, et Peregrinus Scotorum reges. Desiderius ultimus Longobardorum rex. A Carolo Magno victus. an Lucam moenibus cinxerit. Continet acta a condita urbe ad annum salutis DCCLXXIV.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER PRIMUS.

Lucensis urbis initia prae nimia vetustate in obscuro mansere. Alii ejus originem ad Japetum, alii ad Arcades, nonnulli ad Elaeos Pelasgosque, quidam etiam ad Aborigines referunt: ea conjectura, qua literis proditum est, e Graecia quondam profectos has oras tenuisse. Nec certior Annio fides, Lucumonem ejus conditorem asserenti: qui mendaciorum insignis artifex, etruscae antiquitatis memoriam fabulis implicuit. Verior fama est, illam in finibus Ligurum Apuanorum ab Etruscis conditam; quorum res multo ante romanae urbis primordia floruere; imperio ab alpibus Capuam usque, per superum inferumque mare producto. Primo igitur ad Etruscos; dein potentia eorum per luxum socordiamque, regnorum pestes, fracta, ad Ligures spectavit. mox Galliae Cisalpinae una cum Liguribus ipsis adscripta: donec Augusto principe, terminis provinciarum mutatis, iterum Etruriae accessit: quidquid inter Macram et

Tiberim, marique Tyrrheno, ac Apennini jugis clauditur, Etruriae nomine appellatum.

Florentibus Thuscorum rebus, an Lucenses aliquam reipublicae partem tenuerint, ambigentibus aliis, non desunt ex nostris qui affirment. Mihi patriae res incorrupta fide tradere professo, ut verae laudis detrahere, ita falsae quidquam addere religio est, eadem libertate, si quid vitio gentis humanae peccatum interdum fuerit, non reticebitur; in tanta praesertim bonorum exemplorum copia: multo amplioribus lucensis virtutis terminis, quam imperii. Nam si veterum scriptorum morem sequutus, populi cujus res gestas scribere aggredior, ad majestatem operis, laudes initio praefari velim; illud sine vanitatis suspicione affirmare possem, me scripturum res populi, pace belloque juxta clari: cujus non temere similem reperias, in quo aut animi fideique candor, aut ingeniorum felicitas, aut artium industria, aut sanctitas legum, religionisque incorruptae decus; vel denique ad extremum libertatis amor aeque viguerit: cui retinendae reparandaeve, nunquam auro aut sanguini adeo pepercit; ut jam Lucenses servandae libertatis documentum saeculo monstrentur: nec minus genti nostrae proprium sit liberorum nomen, quam Lucen-

sium. Sed laudes ne tum quidem tolerandae fuerint, cum rebus praesentibus fidem accipient. in vestibulo certe operis videri possint ambitiosae, et in speciem adulationis compositae: a cujus suspicione ut animum, ita stylum abesse convenit: ut tam alienum sit a scriptore servitutis crimen, quam est in populo libertatis.

Quisquis igitur urbis nostrae parens et conditor extitit, ut nimia vetustas in ambiguo esse voluit; ita insigni praeditum sapientia non dubitaverim. nam et locandae urbi sedem legit salubri caelo, satis ampla ac fecunda planitie, amoenis frugiferisque collibus clausa: ac insuper propinquo amne, subvehendis a mari commeatibus: praecipue tum alveo depressiore, nec dum assiduis alluvionibus aggesto. rursus longe a paludibus, ac pestilenti Etrusci maris ora: noxiis etiam meridianae regionis flatibus velut de industria obicem admolita natura: montibus perpetuo dorso in praeruptam altitudinem elatis: non ignavo tamen solo, sed humani cultus, et frugum patiente. His opportunitatibus adjecti lacus, quorum alter ad orientem in mediterraneis, alter ad meridiem influente mari situs: ipsum praeterea mare, Aesarque, quem Auserem quoque appellant, piscosis undis damna soli rependens. Consilium

etiam sors adjuvit. quippe successu temporis reperti non longe ab urbe aquis salubribus medicati fontes; quorum famam jam toto orbe praesens morbis auxilium vulgavit. Et quod omnium caput est, ea disciplina iisque moribus instituit, quos facile in suos transire, christianae religionis sanctitas deinde jusserit. In his sedibus non longe a Lunae montibus, primi illi Lucenses, ut Strabo (*a*) memoriae prodidit, sparsis vicis habitarunt: qui deinde, ut fit, confluente multitudine adjectis aedificiis in justae urbis formam coaluere. Urbi Lucae inditum nomen, sive a lucis, quos tanquam sacros adoravit antiquitas: nota praesertim Thuscorum superstitione: sive alia fuit ejus appellationis origo: comperta jam Annii vanitate, ad Lucumonem et urbem et titulum referentis. aeque inanibus Fridiae, atque Auringae nominibus, nulla vetustatis auctoritate subnixis. Conditore ac nomine, non magis certa temporum conditae urbis ratio. quamquam nonnulli ante ipsam Romam initia civitatis nostrae repetant: velintque Lucagum illum, principi carminum Virgilio, inter auxilia Turni numeratum, Lucensium ducem extitisse. quae vereor, ne dicta sint magis speciose, quam vere. Primae civitatis sedes angustae; mox in-

(*a*) Lib. 5.

colarum frequentia subinde auctae: unde crebri vicorum flexus, et urbis facies occupatae magis similis, quam dispositae. paulatim crevisse Lucam, modicis semper omnium mortalium rerum initiis, indicio sunt non uno loco veterum munimentorum vestigia; quibus ampliatum subinde pomoerium, et tanquam intervalla crescentis urbis deprehenduntur. Jam inde a principio, veluti fato quodam destinata libertati sedes, magnis operibus munimentisque firmata: quem morem a majoribus traditum sancte posteri tenuere; extantibus adhuc ingentium portarum claustris, turribusque quadrato saxo in mirandam altitudinem erectis; priscarum opum, ac bellicae gloriae documenta. Sed antiquorum molibus novae munitiones nequaquam victae. quippe urbem universam in arcis modum per stadia vigintiquatuor muris ac propugnaculis laterculo coctili cingentibus: terrae aggere in eam latitudinem adjecto, ut quibusdam locis quatuor quadrigae junctis spatiis commeare possint: qui arboribus praeterea consitus, amoenissimam speciem visentibus praebet: paci ornamentum, bello praesidium.

Primi in antiquis annalibus tenuisse Lucenses, Etrusci inveniuntur. mox res ad Ligures translatae; deinde ad Romanos, a qui-

bus ob egregiam fidem municipii coloniaeque jure donati Lucenses. deinde barbaris gentibus romanum imperium occupantibus, una cum caetera Italia Gothorum jugum Luca subiit: quibus per Narsetem regno exutis, in graecorum imperatorum fidem, ac postea in Longobardorum arma concessit. iisque per Francos dominatione spoliatis, Etruriae regulis paruit; donec populus antiquae virtutis memor se in libertatem vindicavit: primumque per senatum et consules administrata respublica: deinde consulum loco creati decemviri, sub quorum imperio jam supra trecentos annos externa dominatione intacti Lucenses florent vigentque: imperii finibus aliquanto angustioribus quam antea. nam late quondam ac magnae Etruriae parti imperitasse Lucenses, veterum annalium scriptores prodidere: promota etiam in Ligures orientales dominatione: quae nunc ab oriente pistoriensi agro, ab occidente lunensi clauditur: ad meridiem pisanos montes et thuscum mare, ad septemtrionem usque Apenninum excurrit: multis mortalium millibus ultra soli spatium frequens. quae omnia nunc carptim collecta et in conspectu legentium posita, cursu operis distincte suis locis memorabimus.

Sic igitur constituta urbe, illius imperio Thusci, ut cuncta ferme Italia potiebantur. administrandi imperii ratio haec erat. Universa Etruscorum res in XII. populos divisa. singulis sui reges imperitabant, etrusca lingua Lucumones dicti: quorum unus caeteris major cunctis praeerat. Duodecim illae tamquam minores respublicae suis regibus, ipsi reges Lucumoni maximo parebant. parva negocia regum quisque curabat: quae universam gentem respicerent in medium consulebantur. indictoque concilio communibus suffragiis pax, bellum, leges, foedera sanciebantur. Qua concordia in tantum etrusca potentia adoleverat; ut promotis terra marique terminis, florentissimi omnis memoriae imperii molem jecissent. Quidam nostrorum inter duodecim urbes etrusci regni capita Lucam fuisse contendunt: nulla satis firma ratione, praeter quam patriae claritudinis studio, et in rebus vetustate confusis audendi licentia. Sed ut magnae ac inveteratae felicitatis comites sunt inertia et luxuria, victores multarum gentium Etrusci vitiis cessere. assueti per vinum et epulas tempus rerum traducere; foedis praeterea libidinibus maculosi: unde subjectorum in eos odium, hostium contemptus. Primi Ligures, gens de ingenio

loci aspera ac bellicosa, solutam luxu Etruriam adorti, illam regni parte multavere. victoresque Arnum usque progressi, cum caeteris urbibus Lucam quoque Thuscis ademere. Quid sub ejus gentis imperio, quantumque egerint Lucenses, longinquitate temporum scire negatum. id unum constat eam et operum munitionibus validam, ac militari gloria floruisse.

Interea res romana sub regibus primum, dein sub libera populi potestate, devictis circa gentibus in dies major; post Equos, Volscosque, et non sine quodam futurae majestatis pudore formidatos Vejos, transmarinis provinciis animum intenderat. primoque bello punico vires suas experta, illius fortunae fundamenta jecerat, qua deinde, sublata urbe aemula, et cum qua una de imperio contendit, terra marique totum orbem dominatione aequavit: cum gentem potentiae ac imperii avidam in se Ligures vertere; quippe cum finitimae Etruriae, jam intra Arnum, ac Tiberim angustis limitibus clausae infesti, sociam populi romani provinciam incursionibus vexarent; actisque praedis late armorum suorum terrorem Thuscis intulissent; illi implorata Romanorum fide, eorum cupiditati materiam praebuere, dum alienos fines tuentur, suos promovendi. etenim specioso sociorum

praetextu res romana plurimum crevit: dum tutelae nomine exterae nationes invaduntur; et quod ambitio erat, fides vocatur. Igitur T. Graccho, P. Valerio Coss. anno post Romam conditam DXV, sive ut alii scribunt, sequenti Coss. L. Lentulo, et Q. Flacco, bellum ligusticum exarsit: primumque, ut Livii epitome tradit, in eos exercitus promotus est. sed quamquam romanis armis primo impetu repressi Ligures quiessent, acrius inde rebellarunt: donec M. Pomponio, Q. Fabio Max. Coss. tantam cladem accepere, ut suis rebus contenti, latrociniis finem imponerent. nec tamen pax diu mansit: nam inquieta feroxque natio, quamquam debilitata, iterum ad arma discurrit: rursusque a M. Aemilio, M. Junio Coss. repressa est: nec multo inde a Publ. Furio Philo, mox a pluribus populi romani ducibus Ligures victi triumphatique. Per haec tempora verisimile est Lucam in potestatem Romanorum venisse, cum adhuc sub imperio Ligurum ageret. nam P. Cornelio, T. Sempronio Coss. qui fuit annus a prima Ligurum expeditione unus et vigesimus, jam Luca romani juris erat. Igitur per ligustici belli tempora Domitius Calvinus (praetorem aut legatum esse oportuit: nam neque Julio Frontino (*a*) rei gestae scriptori consul dicitur; et

(*a*) Iul. Front. lib. 3. cap. 2. stratag.

trium e calvina familia consulum, primi Liguribus adhuc intactis, postremus non ante annum DCC. alterum e duobus consulatum gessit, romanae pacis majestate, ne dum Italia, sed barbaris etiam gentibus regibusque pacatis) ad Lucam Ligurum urbem obsidendam missus. Ex illa enim, ut Etruscorum terris finitima forte injuriarum initium, et in vicinos agros excursiones: eaque, munitione belli sedes, et hostium receptus. sed cum locus non minus operibus, quam propugnatorum praestantia tutus esset; Calvinus victoriae diffisus, omissis romanis artibus labore ac fortitudine, rem astu tentavit; dolum virtutemque ad victoriam perinde ratus. instituit ergo muros urbis cum copiis frequenter circuire, nec ultra conatus, eas in castra reducere. Lucenses principio strenue pro moenibus adesse, stationes obire, in armis stare si vis fieret, manu telisque propulsaturi. verum ubi per plures dies nil aliud, quam otiosos decursus vident, quod erat fraus exercitationem rati; quodque in bello capitale est, hosti credentes, omnia segniter agere; rari in muris adesse, publicaeque obliti, suam rem quisque curare. Romanus ubi laxatas custodias, raras stationes, nudata propugnatoribus moenia, civesque securos videt, rem in serium vertit,

urbemque ex improviso adoritur. Lucenses sero fraude intellecta, ante quam capere arma, ac expedire consilium possent occupati oppressique, ad deditionem compulsi urbem Romanis permisere. tanta jam iis temporibus Luca, ut nisi dolo Romanis capi non possit. sed ea victorum amplitudo futura erat, ut vinci fortunae loco fuerit. nam Romanus devictae gentis virtutem ac militarem disciplinam admiratus; ac praeterea robur floremque juventutis, ex ea tamquam fortium virorum seminario, equitum peditumque ordines capere instituit; disciplinaeque illi terrarum orbem domiturae, militia Lucensium aliquid contulit; clarissimi nominis fideique scriptore Strabone referente (a); qui non rei militaris tantum, sed et probitatis laudem Lucensium moribus tribuit. Sed quoniam in rebus obscuritate perplexis versamur; si quis eam obsidionem ad consulatum Cn. Calvini referat, qui incidit in annum conditae Urbis CCCCLXX. quo tempore adversus Etruscos bellatum, haud in magno ponam discrimine; nec in ejusmodi conjecturis multos verborum ambitus fecerim: cum Luca per id tempus potuerit adhuc ad Etruscorum imperium pertinere. Nos Frontinum sequuti, qui quo tempore a Calvino Luca op-

(a) Strabo lib. 5.

pugnata est, eam *Ligurum oppidum* appellat, ad ligustini belli tempora rem gestam revocavimus: certiora tradituri, nisi vetustatis injuria, eorum temporum acta una cum Livii scriptis intercidissent.

Ligusticum bellum punica arma excepere; quae Annibal adhuc puer a parente ad aras odio Romanorum imbutus; eorum imperium excindere pietatem ac religionem interpretatus, jam Sagunto expugnata superatisque alpibus Italiae intulerat. Primo itaque ad Ticinum cum Scipione consule congressus, mox ad Trebiam etiam cum Sempronio, memorabili clade rem romanam afflixit. sed hieme punicis victoriis romanisque cladibus interveniente, utrinque ab armis cessatum. appetente vere, ac dubiis adhuc ejus initiis, Annibal in Etruriam castra movit; saevaque tempestate in Apennini transitu conflictatus, ne florentem exercitum et Italiae triumphis destinatum, locorum ac hiemis asperitate vexaret, retro ad Placentiam signa convertit: et ad decem millia progressus, locatis castris ibi consedit. biduo post cum Sempronio pugnae facultatem fecisset, acie certatum; parique clade ac virtute discessum. fuissetque utriusque partis damno ea dies memorabilior et clarior, nisi accensum ingentibus animis praelium nox

diremisset. Romanis tamen, quam Poenis ea pugna iniquior; nam etsi par ferme caesorum numerus, tamen recentibus adhuc Ticini ac Trebiae vulneribus, motus omnis velut in corpore affecto gravior erat. *secundum eam pugnam* (ut Livius est auctor) *Annibal in Ligures, Sempronius Lucam concessit*: (a) utpote romani juris urbem, adeoque munitionibus validam, ut in ea temporum asperitate Romanis effugium praestare posset. quod ut tunc periculi plenum, ita posteris vertit in gloriam. Lucae agentem Sempronium Annibal quietum habuit. sive ut fatigatum prioribus praeliis exercitum reficeret: sive loci munitioni diffisus; ac designatis consulibus integram belli molem reservans; novorum ducum inscitiam ferociamque opportunitatem victoriae ratus. nec spes eum fefellit; quippe Ticini, ac Trebiae clades Thrasymenus, et Cannae ignobiles fecere: Romanis ad eam rerum desperationem redactis, ut etiam de Italia deserenda auctores non defuerint. Sed melioribus fatis impiam mentem avertentibus tandem populus romanus, quod illi proprium fuit, cladibus ac ruinis major, Scipione duce, Annibalem Carthaginemque vicit triumphavitque. Sed non cum Poenis fracta Ligurum ferocia: qui

(a) Liv. Dec. 3. lib. 1.

saepius victi a Romanis, nunquam ita imperium accepere, ut non respicerent animo libertatem. postquam ad Placentiam pugnatum, Annibalem terris suis exceperant; consilia atque arma miscuerant; quoque firmior esset, societatem proditione duorum quaestorum totidemque tribunorum, ac quinque praeterea equestris ordinis sanxerant. victo demum Annibale, meritorum conscientia tamdiu se tutos, quandiu armatos credebant. Tamen pluribus praeliis fusi, praecipue C. Claudio Pulcro, T. Sempronio Graccho Coss. insigni clade fracti, qua ad XV. millia caesa, septingenti capti, castraque insuper expugnata. Post eam victoriam Romani Lucam duorum millium civium romanorum coloniam deduxere: indomitae Ligurum genti frenum, jugumque. quod antequam narrare incipiam, non ab re fuerit pauca de coloniis altius repetere: jucundum lecturo cognitione antiquitatis, nec sine fructu.

Jam primum omnium satis constat colonias oppida fuisse, in quae populus romanus novos cultores cives suos traduceret: sparsis per orbem terrarum ad majestatem romanae gentis tot urbis suae simulacris. origo ejus rei ab ipso conditore ac urbis parente Romulo: qui bello captas urbes non vastitate aut

servitute deformavit ; sed parte incolarum Romam traducta, loco illorum alios ipse ex urbe submisit, ut ex duabus gentibus una coalesceret. quo more a regibus, ac libera civitate deinde servato, Italia primum, mox Galliae, Hispaniae, Germaniaeque, atque aliae provinciarum coloniis refertae, propugnacula videlicet imperii et domitis gentibus frenum jugumque adversus rebellantes. inde victis populis obsequium, cum pro una plures cervicibus suis impositas cernerent Romas, paulatim etiam romana mansuetudine, moribus barbarorum mitigatis, et ad cultum humanitatis traductis. Neque tantum coloniae cautio in subjectos, sed etiam praesidium adversus hostes. Urbe autem jam adulta, praeter has aliae quoque reducendis causae fuere. nam ea ratione plebis urbanae multitudo tamquam sentina exhausta: et seditiones agrorum divisione delinitae: et laborum praemium veteranis milititibus redditum: et invitata alendorum liberum copiis ad sobolem plebes. quod pacatis temporibus citra cujusquam injuriam factum: turbidis autem, ac maxime per bella civilia praecipua calamitas; veteribus dominis expulsis novisque per vim et arma inductis. Quoties autem nova colonia deducenda erat, senatus consulto, aut scito plebis numerus civium ac

dividendi agri modus praefinitus: creatique triumviri, qui colonos deducerent, agrosque assignarent. et ut aliqua esset de novo conditae urbis species, aratrum et jugum, ut in condendis urbibus, adhibitum, sulcusque antiquis moenibus circumductus. neve aliquando patrii mores obsolescerent aeedem leges, eadem reipublicae forma in coloniis civium servata: plebs, senatus, consules, omnia ad romanum modum. in hoc tamen dominae urbis majestati consultum, quod coloniarum consules duumviri, senatores decurionum nomine appellabantur. qui etiam romano more ex censu lecti; ut qui Romae equester, in coloniis census senatorius esset: non divitiarum honore, sed ne dignitas vilesceret. Utque nulla romanae urbis species deesset, in multis coloniarum forum, campus, theatra, et capitolia etiam fuere. quae decora urbi nostrae non defuisse, et amphitheatri molibus quae adhuc cernuntur et prati, quod romanum nomen huc usque retinet, aspectu admonemur; et tarpejae appellatio forte ex veteris capitolii nomine ducta. Anno igitur post Romam conditam DLXXV. C. Claudio Pulcro, Ti. Sempronio Graccho Coss. post insignem de Liguribus victoriam, duorum millium civium romanorum colonia Lucam deducta est: ut Li-

vius florentissimus romanarum rerum scriptor memoriae prodidit (a). Coloniae deducendae triumviri lecti P. Aelius, L. Egilius, Cn. Sicinius. quinquagena et singula jugera et semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat: Etruscorum tamen ante quam Ligurum fuerat. Livio consentit Vellejus (b) qui, duodecim annis post Bononiam, Lucensem coloniam deductam scribit. atqui illa Cn. Manlio Volsone Q. Fulvio Nobiliore deducta fuit: a quorum consulatu ad Claudium Semproniumque consules duodecim anni numerantur. consilium deducendae coloniae illud certe, ut rebellans toties et inquieta Ligurum natio, eo praesidio contineretur. Nec tantum coloniae, sed etiam municipii (c) decus Lucae a Romanis delatum. quo nomine Tullio eloquentiae principi memoratur. Hoc autem inter municipia coloniasque intererat, quod coloniae romanis, municipia suis legibus uterentur: essentque proinde municipes minus obnoxii ac pene liberi; suisque veluti radicibus niterentur. cum coloniae eamdem patriam ortu ac jure haberent; municipia in ci-

(a) Liv. Lib. 41.
(b) Lib. I. Hist. c. 15.
(c) Cic. Lib. 13. ep. 13. familiar.

vitatem privilegio venissent. suum etiam ut coloniis, ita municipiis discrimen. Nam aliis tantum jus civitatis honorarium sine suffragio, capiendorumque civilium munerum jure: alia tribum ac suffragia habebant. Itaque cum Luca municipium simul et colonia esset, id consequebatur, ut cives romani in eam deducti, ex eisque geniti, stirpe ac sanguine; indigenae vero veteresque incolae romanae civitatis jus beneficio haberent. Nono post deductam coloniam anno, L. Aemilio Paulo, C. Licinio Crasso coss. qui Macedonia victa captoque Perse memorabilis fuit, inter Lucenses Pisanosque controversia exorta: omen discordiarum cladiumque, quae sequutis deinde temporibus utrosque afflixere. causa dissidii ager, quo se a colonis pelli Pisani querebantur: Lucenses sibi a triumviris assignatum defendebant. itaque missis utrinque Romam legatis, causa in Senatu acta. Patres discrepatione legatorum audita, qui de finibus praesentes cognoscerent statuerentque, misere Q. Fabium Buteonem, P. Cornelium Blasionem, Ti. Sempronium Muscam, L. Naevium Balbum, C. Appuleium Saturninum. quibus Blasio inter triumviros coloniae latinae Pisas deducendae fuerat. unde arbitror illum una cum altero Pisanis petentibus, alios duos ad Lucensium

voluntatem datos: quintum communi consilio adjectum, tamquam victoriae momentum. nec a vero abesse crediderim Pisanos etiam in romani juris coloniae deductione, Lucenses sibi praelatos aegre tulisse (a): cum ipsi latini tantum juris essent. unde alienae gloriae moeror, et dignitatis aemulatione conceptum odium, quod posteri deinde mutuis iniuriis acerbe explerent.

A consulatu Aemilii Crassique usque ad Marcellinum et Philippum consules anni duodecim supra centum intercessere: quae tempora foeda oblivione vetustas obruit. licet tamen aestimare, tot eo saeculo bellis a romana republica gestis, propinquam urbi coloniam ac militari gloria florentem, in partem laborum, ac victoriarum societatem venisse. Lentulo igitur Marcellino, et Martio Philippo coss. qui fuit annus conditae urbis DCXCVII, deductae vero coloniae centesimus vigesimus primus. eo res romana pervenerat, ut civili belli tempestas impendere non obscuris indiciis videretur. Iam inde a Marii Syllaeque discordiis, moxque Carbonis Cinnaeque dominatu, nihil sanum in republica fuerat;

(a) Liv. lib. 45. apud quem in quibusdam exemplaribus pro *Lucensibus Lunenses* leguntur, sed veram lectionem Cluverius asserit lib. 2. cap. 3. Italiae.

et gliscente in dies ambitione ac dominandi cupidine, nullus legibus locus relictus: omnia gratia, pecunia, et si obviam iretur, vi et armis turbabantur. Itaque externis bellis semper invicta, domesticis malis Roma laborabat: nec dum aperta servitus, sed jam libertas desierat. Erant eo tempore principes civitatis Cn. Pompeius, M. Crassus, et C. Caesar. Pompeium aura popularis et rerum gestarum gloria, tresque orbis partes triumphis lustratae supra civile fastigium extulerant. Crassus ut gloria impar, ita pecunia superabat, quae bonis malisve artibus quaesita, ad potentiam amicosque perinde valet. Caesarem, supra veterem familiae splendorem, gallici belli fama clarum effecerat. ipse animi ingeniique magnitudine, famae par, nihil humile, nihil moderatum cupiebat. sed jam a prima juventa omnia ejus consilia dominationem spectare. itaque omnes variis artibus obnoxios sibi facere; alios studiis, alios pecunia juvare. in ludis spectaculisque ad nomen popularitatis magnificus. inter angustias rei familiaris largitor, et attrito patrimonio pauper prodigus. Horum arbitrio omnia agebantur: illi Senatus, illi populus erant. nunc diversis, nunc sociatis consiliis, prout privata cuique utilitas suaderet. Et Pompeii quidem Crassique potentia, etsi major quam

libera civitas ferre posset. tamen haud ultra principatum tendere: Caesaris conatus violentiores, et ad tyrannidem ire videbantur. itaque in dies suspectior et libertati gravis: minantibus palam inimicis, praecipue L. Domitio, qui proximi anni consulatum magnis studiis ambiebat, se eum de fastigio detracturos et ad reddendam rationem satisfaciendumque reipublicae coacturos. His territus Caesar, et praeteritorum conscientia parum fidens, se in omnem partem versare: omnia consilia imperii continuandi exquirere: » unicam sibi ad » salutem viam existimare si magistratus magi- » stratibus intexeret. eodem die se privatum ac » reum futurum. inimicos odia professos, et ad- » huc se in armis ac in provincia esse: quid » ausuros in urbe contra togatum et inermem? » quando per animi ferociam consilia sua dete- » xissent, viri esse eorum stultitiam disciplinam » suam facere. invalida contra vim legum prae- » sidia etiam innocentibus: se opinione omnium » jam damnatum, frustra leges invocatum quas » violaverit. vulgi amorem instabilem et infi- » dum et cum fortuna converti. et qui nunc » Caesarem victoriis florentem maximique ac » fortissimi exercitus imperatorem fovent, reum » apud judices deserturos. se jam pridem eo lo- » ci adductum, ut sibi cogitandum sit aut exi-

» lium aut regnum. » Dum ea consilia animo versat, jam hiems appetebat. quare militibus in hiberna dimissis, ipse in loca provinciae suae Urbi proximiora, ut quotannis illi mos erat, venire statuit. Luca ad hibernandum lecta, tum Galliae Cisalpinae urbs, in ipsis provinciae suae terminis; qui a tyrrheno inferoque mari Arno, a supero Rubicone fluminibus finiebantur. ad eum Lucae hiemantem omnis amicorum multitudo ex Urbe confluxit, interque eos quamplurimi senatorii ordinis. nec viri tantum, sed etiam illustres feminae. nec urbani magistratus, aut ex vicinis provinciis eam officii cultusque speciem omisere: ut in urbem lucensem immigrasse pene Romam crederes: ea togarum fasciumque majestas. Nam plures ducentis senatoribus Lucae fuisse, et ad Caesaris fores uno tempore centum viginti stetisse fasces, augustum spectaculum, et cuivis magnarum urbium gloriosum, Plutarchus et Appianus clari scriptores prodidere. Inter alios insignes extitere Ap. Claudius Sardiniae praefectus, et Q. Metellus Nepos proconsul Hispaniae; sed omnium maxime eminebant Pompeius et Crassus, a Caesare potissimum acciti, ut cum illis de communi fortuna ageret. Eos igitur a caeteris seductos » illum esse » reipublicae statum docet, ut si inter se con-

» sentiant, soli rerum potiantur: si autem seor-
» sim sibi quisque consulat, posse singulos ab
» adversariis convelli; tres invictos omnino fo-
» re. magnas unicuique necessitudines et affi-
» nitates, plures clientelas: si coalescant, a se om-
» nino stare rempublicam. eam firmandae poten-
» tiae rationem esse: si nulli ad honores sit adi-
» tus, nulli provinciae, nulli exercitus, aut alia
» reipublicae pars mandetur, nisi qui cum ipsis
» sentiant. inimicos, nocendi facultate adempta,
» invidiosis querelis omnia impleturos: verum
» non plus inde formidinis quam ab immanibus
» belluis, quibus evulsis dentibus unguibusque
» inanis fremitus relinquatur. si uno consilio res
» agatur, in ipsorum arbitrio fore quam reipu-
» blicae partem vellent. eo in loco posse de
» universo imperio comitia fieri. id Romae in
» campo ratum futurum, quod ipsi Lucae in
» cubiculo sanxissent. » Conditio ab utrisque
cepta, pactumque inter eos, ut Caesari in al-
terum quinquennium provincia Gallia proro-
garetur, pecuniaque ex aerario daretur. Pom-
peius Crassusque, ad dejiciendum Domitium,
alterum consulatum peterent. Quibus in peti-
tione juvandis, Caesar milites ad suffragia mis-
surum pollicebatur. primoque Hispania et Afri-
ca, alteri Syria et Parthicum bellum decer-
neretur. Alia praeterea inter ipsos constitu-

ta, tamquam reipublicae funeris arbitria. Hic est celebris ille conventus romanae libertati fatalis, latinis graecisque scriptoribus memoratus: in quo universa respublica, tamquam privatum aliquod patrimonium tribus divisa: perfectumque ut tot victoriarum, tot triumphorum fructum tres viri caperent. Quae licet alienae reipublicae, tamen latius persequutus sum, ut evertendae libertatis consilia ante civium meorum oculos ponerem. quo alienis malis edocti magis caverent, ne quod in urbe nostra contra romanam factum est, unquam adversus patriam rempublicam fieri posset. Verum ut malefida est dominationis societas, sublato Parthorum armis Crasso, simultates inter Caesarem Pompeiumque exortae in civile bellum erupere. quo ut non causa, ita melior victoria Caesar, dictatoris perpetui nomine, regia dominatione solus potitus est: donec pulchro aeque, ac infelici facinore per Cassium Brutumque in senatu confossus, libertati oppressae poenas daret. Verum sublato tyranno, servitus mansit. nam ut bonorum, ita cupiditatis paternae haeres Octavius post laceratam armis civilibus Romam, nomine principis regnum invasit: fessa tot malis republica, et praeferente turbidae libertati quietam servitutem. Floruit per haec tem-

pora Lucae Castronius Paetus, familiaritate et commendatione M. Tullii mortalium disertissimi clarus; quem nobili genere ortum, municipii sui principem, aetate, ac moribus gravem, utque virtutibus, sic etiam fortuna ornatum in epistola ad Brutum scribit (*a*): cui pro Caesare ad bellum africanum profecto Galliam Cisalpinam administranti, Paetum ejus favore indigentem exquisitis precibus commendavit. quod accidisse anno post Romam conditam DCCVII. Caesare III. et Aemilio Lepido coss. ex Appiano, ac Cicerone colligitur (*b*).

Octavius igitur Caesaris adoptione filius rerum potitus, jamque et Caesar et Augustus omnibus tam externis quam civilibus bellis mira felicitate terra marique pacatis, Janum geminum clausit: quod ante eum a conditae Urbis initio semel iterumque contigerat. Hic status rerum humanarum erat, cum aeternus Dei Filius Jesus Christus, jacentem antiqui criminis ruina orbem reparaturus, Virgineo partu in lucem editus est anno DCCLII. Augusti Caesaris XLII. quemadmodum, et sacrorum vatum Judaeis, et caeteris gentibus Sy-

(*a*) Cic. lib. 13. ep. 13. famil.
(*b*) Appian. lib. 2. Civil. Cic. lib. 6. ep. 6. famil.

hillarum oracula praenunciaverant. quibus et partus Virginis, et superstitionis antiquae finis promittebatur. Is igitur vitae innocentia, caelesti qua pollebat doctrina, prodigiisque humanam opem superantibus, cum maximam admirationem sui Judaeae in qua natus erat concitasset; discipulosque et asseclas imbuendis nova religione populis comparasset; invidia principum per summum scelus, a Pontio Pilato Judaeae procuratore, servili supplicio affectus est. Verum divina, quae illi inerat natura, extinctum corpus ad vitam triduo post revocante: gloria ejus doctrinaeque ab eo traditae sanctitas latius in dies crebrescere: primumque finitimis Judaeae terris, mox in longinqua etiam vulgari coepit: divinis hominibus qui viventi haeserant, in omnes mundi plagas profectis. quorum suasu, sermoni prodigiis fidem conciliantibus, deorum superstitio passim vilescere, claudi templa, everti arae, jacere sine victimis sine sacerdotibus numina: donec in eam gloriam majestatemque, quae nunc cernitur christiana religio adversus inferorum terrarumque conspirationem invicta adolesceret. Igitur Claudio imperante, qui post C. Caesarem Tiberii successorem, tentata frustra per senatum antiqua libertate, imperium arripuerat, christianum

nomen Italiae invectum. Nam Petrus omnium Christi sectatorum princeps, et ab eo summi sacerdotii potestate auctus, cum orientis regiones caelesti doctrina ad veri Dei cultum traduxisset; Antiochia, ubi sacerdotii sedem annis septem tenuerat, Romam navigavit Claudii anno II. Christi XLIV. ut in communi gentium omnium patria, Christianae legis instituta publicaret. Itaque Neapolim appulsus, atque inde ut traditur, vi tempestatis in Etruriae oras delatus, pisanum portum intravit; atque inde pedestri itinere Romam contendit, sacrificio non longe a Pisarum urbe christiano ritu peracto, eo loco qui nunc quoque in insignis facti memoriam, celebri templo, et annua populorum religione colitur. an etiam Lucam intraverit, incompertum. Non tamen a vero abhorret, in clari nominis coloniam, romanae viae appositam venisse. cui biennio post, destinatis in varias Italiae urbes novae doctrinae magistris, Paulinum submisit: magnum Petri in Lucenses benevolentiae pignus. Nec Lucenses officiis in eum vinci passi: tot amoris cultusque indiciis erga divinum hominem extantibus: templis, basilicis, aris, simulacris, pontibus, portis, propugnaculis, pagis ejus nomini dicatis: ipso etiam imperii vexillo, ac summae potestatis anulo Petri imagine insigni.

Natus erat Antiochiae Paulinus, urbe Syriae principe, in quam christianum nomen a Judaeis jactatum, velut in portum se receperat. concionanti Petro haeserat comes, eumque in occidentem sequutus, quamquam florenti adhuc aetate, morum ac sanctimoniae laude; dignus existimatus, qui illustri coloniae sacerdos daretur. Roma digressus in itinere Fluentinis (hoc nomine tum Florentini appellabantur) una cum Frontino Christum annunciavit, ut antiqui gentis annales memorant. Verum novae religionis semina occulta in Fluentinis metu principum mansere; donec Constantinus rerum potitus, verecundiam christianis institutis ademit: palamque profiteri Christum non pervicacia et ludibrium, sed (quod erat) religio et gloria vocari coepit. Longe felicius Paulini labores in excolendis Lucensibus collocati. Nam vix Lucae pedem intulerat, cum populus miti docilique ingenio, ac religionibus deditus, tum caelesti doctrina, tum sancti juvenis virtutibus motus, certatim sacros ritus amplecti, alios mores, aliam vitae rationem capere: ubique everti arae, deseri simulacra, templa extrui, propugnacula adversus impietatem. Dum haec Paulinus Lucae contra veterem superstitionem molitur, ipsa antiquo juri retinendo se se novis operibus

muniebat. quippe cum nihil adeo corrumpendis moribus efficax sit ac illecebrae libidinum: malam mentem civibus injecit, ut egregii ingentisque operis amphitheatrum edendis spectaculis extruerent; arcem videlicet impietatis contra veram religionem. quod molis genus a Graecis ortum vitiorum omnium repertoribus, primo illorum mores, deinde etiam Romanorum afflixit; apud quos prisco illo et rudi voluptatum aevo, primum cespite ac terreno aggere extructis gradibus spectatum; mox gliscente luxu ligneis, temporario opere: donec lascivia domicilium fixit, lapideis circis, theatrisque, initio per Pompeium facto extructis: qui tres orbis partes victoriis complexus, hostes ferro, cives voluptatibus perdidit. Durant adhuc Lucae ejus molis vestigia prope Bonvisiorum aedes ad veteres carceres priscarum opum ac magnificentiae documenta; nunc privatis aedificiis occupata, ac magna ex parte aggestu ruderum defossa: extante tamen subinde corona lapidea ad columnarum intervalla fornicibusque e laterculo coctili, ac muris opere reticulato, caeteris ornamentis detractis; ad eam formam, qua Romae veterum operum reliquias cernimus, veluti speciosorum corporum ossa magna et deformia. Aedificatam Claudio

imperante hanc molem, adducor ut credam ea conjectura, quod nuper in Barsottorum aedibus, dum ejus pars diruitur, aerei nummi imagine ejus principis reperti, vulgato more hujusmodi numismata in operum fundamenta a conditoribus jaciendi, famae cupidine ad posteros. confessa mortalium operum vanitate, e quorum ruinis gloriam petimus, etiam dum extruimus. Hic locus non solum edendis spectaculis, sed etiam habendis populi concionibus diu usui fuit, donec veteris superstitionis vestigia aboleri placuit, profanasque moles in templa ac basilicas vero Deo dicatas converti, quod circa Gothorum ac Longobardorum tempora contigisse arbitror, nota praecipue in hujusmodi aedificia Gothorum rabie. Nam D. Frigdiani basilica Longobardorum regum opus, ex amphitheatri, cui proxima est, ruinis quadrato saxo extructa. Cujus, aliarumque veterum basilicarum columnas ad amphitheatrum stetisse fama est. magna posteritatis accusatione, tanto plus religionis barbaris fuisse. Praeter hoc, Claudio principe, aedificatum, aliud theatrum fuisse ad D. Augustini olim Salvatoris templum; scriptores rerum lucensium tradidere. manentque vestigia ejus operis in proximis aedibus: fornicesque introrsum cuneatim decrescentes, et forma insulae ruinis inaedificatae theatri orbem ostendunt.

Claudio per scelus uxoris extincto privignus Nero in imperium successit, tanta morum varietate, ut idem optimus, idem pessimus haberetur. dum scilicet ejus initia Senecae consiliis et matris reverentia reguntur; illisque mox parricidio sublatis, suis tantum moribus utitur. eo imperante in Christianos primum romanis legibus publice saevitum. dum Caesar incensae urbis infamiae abolendae, subdit genus hominum, non ut impie Tacitus scripsit, per flagitia invisum, sed contumelia numinum, et dissimilitudine morum, magno christiani nominis honore; dum palam constat nonnisi magnum aliquid boni esse potuisse, quod Nero persequeretur. Accidit id M. Lecanio, C. Licinio coss. imperii ipsius X. Christi anno LXVI. Nec urbe tantum cohibitum id malum, sed triennio post divinis hominibus Petro et Paulo, qui tunc totius christianae religionis principes erant, supplicio affectis, latius manare coepit; primoque finitimam Etruriam corripuit. Praesidebat Etruriae Anolinus, qui saevi principis jussu, novae religionis homines quaestionibus suppliciisque vexare aggreditur. officina ejus crudelitatis Pisae erant. eo Paulinus fama religionis jam celebris, una cum Severo ac Luca initiatis, Theobaldo milite aliisque Lucensibus accitus; primo ver-

beribus, mox carcere ac longa trium dierum inedia maceratus feris objicitur. quae cum hominibus commodare crudelitate recusassent, Paulinus ad radices montis, qui Pisas Lucamque inter jacet, fustibus ad necem caesus, caeteri securi percussi, clarissimo cristianae religionis testimonio defuncti sunt. eorum corpora noctu clam in urbem lucensem a Paulini discipulis delata, eo loco sepulta sunt, quem ob eorum multitudinem, qui religionis causa supplicio affecti eo inferebantur, sanctorum cellam appellabant. Memoriae proditum est, Paulinum sub mortem lucensem urbem Deo exquisitis precibus commendasse; caelestique voce admonitum, tamdiu Lucenses futuros incolumes florentesque, quamdiu in ejus tutela ac fide mansissent. Nec oraculo fides abfuit. quippe illo jam in divorum numerum recepto, arisque et templis consecrato, urbis felicitas eodem gradu cum sanctissimi sacerdotis cultu processit: nec ulla lucensi populo clades sequutis temporibus ingruit; quam aut imminentem, aut jam coeptam non eo patrono depulerit. ut in confesso sit, tot rerum difficultates, quibus Lucenses sese explicarunt; tot caelestes iras, quas effugere; hanc pacis atque otii tranquillitatem, hanc ubertatem agrorum, hanc corporum salubritatem, hoc libertatis

tamdiu servatae bonum, supra omnia mortalia consilia Paulino deberi. Sed non cum illo pietas Lucensium extincta. nam Valerius sacerdotio potitus, viduam parentis morte urbem excepit. vir iisdem causis quibus Paulinus, tyranni odium meritus, et ab eodem securi percussus. Interea Clemens romanae urbis sacerdotium, prius insigni modestia recusatum, susceperat. traditur enim a Petro Clementem successorem destinatum; sed illum veritum exemplum, ne aliquando gliscente ambitione, summum sacerdotium haereditas fieret, delatum honorem recusasse. donec pontificatus inter vincula et carceres versaretur, posse eum quidem tuto per manus tradi: verum multo ante sapientia providisse, pessimo publico id futurum, cum carceres securesque in opes ac regna transissent. Eo pontifice, quod ad res Lucensium attinet, Dionysius areopagita gallico itinere Lucam venit, ibique templum generis humani servatori dedicavit. cujus insignis facti memoria extat in tabula marmorea ad D. Paulini aedem. quae quamquam non ante annum MCC. posita, tamen magnae auctoritatis ad fidem est (*a*); integris autem eo tempore antiquis monumentis, ex quibus illa de-

(*a*) Acta D. Antonii a Bollando edita ad diem 27 aprilis.

scribi potuit: quae deinde bellorum cladibus, ac tabularii ruinis periere. nec me movet sancti Dionysii nomen tantum scriptum, ut ambigam, utrum de areopagita intelligendum sit; cum sub Clemente nullus alius hujus nominis fuisse reperiatur episcopus: nec longe a vero sit, areopagitam, a Clemente in Galliam missum, in coloniam gallicae viae propinquam, causa novos religionis alumnos ad constantiam fidemque hortandi, eisque praesentia sua solatium adhibendi divertisse. quamquam de illo magnas ac perplexas esse quaestiones sciam, quas, quibus est otium, suis momentis expendent. mihi id tetigisse satis sit, ne tanti viri hospitio patriam fraudare videar voluisse. nisi forte Dionysius ille ad aliquem lucensem antistitem referendus sit, quod eruditis magnisque viris placuisse video. Illud etiam minime praeteream, quod apud nostros magis reperio quam credo; nempe Euthychianum, et Lucium summo pontificatu, et ob religionem obita morte claros, Luca ortum duxisse. nam prior constanti scriptorum fide lucensis asseritur: quod errori locum fortasse praebuit, facili unius literae immutatione: et Lucium Romae Porphyrio patre genitum acta vetustiora praeferunt. quamquam compertum habeam esse magni nominis scriptorem, qui Lucam pa-

triam, et Lucinum parentem affirmet (*a*). qua in re liberum legentis judicium esto. nec enim eorum morem sequor, qui quovis obtentu decora in suas nationes transferunt; functi potius bonorum civium, quam scriptorum officio. Non tamen ideo dubitaverim, tam incorrepta Lucensium erga religionem fide; quin his annalibus illustrandis multa suppeterent fortium virorum exempla, qui pro christiano nomine mortem obierint in saeva illa horum temporum procella, nisi eadem, quam in corpora crudelitate, saevitum etiam in literas foret; incensis per Diocletianum et Maximianum martyrum actis; impio aeque ac inani christianae religionis abolendae consilio: tamquam divina, mortali ulla vi everti possent. Illud etiam pro certo habeo, Lucenses redditam christianae reipublicae tranquillitatem, aurei saeculi exortu per Constantinum Augustum, prae caeteris gentibus gratulatos. Siquidem adhuc apud nos nummus aureus existit, quo Luca Flavia de imperatoriae familiae cognomine appellatur; arcanis ex altera parte notis, quibus de Maxentio tyranno victoriam caelesti vi relatam significari, periti vetustatis existimant. quare

(*a*) Anastasius in Lucii I. vita, et alii quos retuli in Annotationibus ad vitam S. Ceciliae. annot. 23. num. 7.

insignis erga eum principem Lucensium cultus, et eversae una cum tyranno impiae superstitionis gratulatio eminet. et Flaviae cognomen sive sponte, seu Caesaris beneficio assumptum, eam cum religiosissimo principe conjunctionem declarat; ut majores nostri dignam judicaverint, quam posteris auro testarentur. Eo regnante sacerdotium lucense Theodorus obtinuit, quem antiqua fama civem fuisse comperimus, Dombellinga familia ortum, quae Lucae inter nobiles diu floruit. sed clariorem illum virtutes fecere, quibus post mortem consecrari, colique meruit. tertius hic a Paulino Lucensium pontifex numeratur: per annos amplius CC. sive nullo in Valerii locum in ea temporum procella sublecto; sive, quod vero propius est, actis ecclesiarum memoriae religionis abolendae incensis; donec Constantino principe, pace christianis restituta, suus religioni cultus, sua sacris majestas, suum pontificibus decus rediit. Verum eo sublato, acrior pene religioni tempestas incubuit: dum Constantinus e tribus liberis natu maximus, instinctu quorumdam sacerdotum, qui male de divinitate opinabantur, specie pietatis neroniana tempora revocat, carceresque et insulas magnis exulibus refert; infelici documento, numquam nisi malo publico principes sa-

cris immisceri. Sed turbata religione magni quoque in republica motus extitere. Nam barbaris gentibus, quam integram formidaverant, eam in partes divisam aggressis patuit, quum facilius sit imperia vincere, quam imperium. Et quidem Constantini liberis imperantibus praeter bella civilia inter ipsos gesta, infida dominationis societate: aliisque excitata, qui malis artibus imperium affectarunt, Persarum Gothorumque arma in Romanos mota: a Scytarum Sarmatarumque gentibus, imperii fines populationibus vexati: Germaniae non semel rebellantes: donec exuta passim reverentia romanae majestatis, barbarae undique nationes, veluti latrocinium orbis tot annis a Romanis exercitum ultum irent, infinitis agminibus provincias inundarunt. Siquidem ab Hunnis occupata Pannonia, Vandali Africa potiti, Saxonibus capta Britannia, Franci Gallias invasere. Sed praecipue insignes Gothorum et Longobardorum gentes extitere: quorum primi Italiam, Hispanias, partemque Galliarum; alteri Galliam Cisalpinam, Etruriam, aliasque Italiae regiones; ut non ita ampla, ita magis perpetua dominatione tenuere. de quibus cum utraque gens Lucae imperitarit, resque memoratu dignae sub eorum imperio Lucensibus acciderint, non ab re fuerit pauca altius

repetere. Quod ut otioso magis animo exequar, prius, quod per haec tempora gloriosum urbi nostrae contigit, memorabo. Constantio sine liberis mortuo, Julianus successit, infamis avitae religionis desertor; cujus brevem principatum brevior Joviani excepit; post quem a Juliano ob christianam religionem tribunatu exuti, Valentinianus et Valens Deo auctore regnarunt. Valentinianum Gratianus filius sequutus est, patri patruoque primum imperii socius, deinde haeres; adversus quem regnandi cupidine Maximus in Gallia res novavit. ei coercendo Gratianus barbaram ferocemque Hunnorum gentem excivit, exitu infelici. Deo hujusmodi cum barbaris foedera improbante: quod in magno rege etiam superior aetas vidit: ejus prole a stirpe excisa, regnoque per annos septuaginta magnis calamitatibus implicito. Hunnis in exercitu Gratiani militantibus memorabilis XI. millium virginum expeditio, duce Ursula regio sanguine orta, e Britannia solvit. Causas alias alii obtendunt. Illud exploratum est eam classem in Rheni ostia vi tempestatis delatam, non longe a Colonia Agrippinensi in barbaros incidisse: qui in venerem supra alias nationes effusi, inferre vim aggrediuntur. Sed ubi pudicitiae amore obstinatas vident, libidine in rabiem

versa, illas sagittis obruere. Quo spectaculo nec ante vetustas, nec pulchrius aut nobilius quidquam visura posteritas est. Beatum hunc exercitum, in decus virginitatis, nonnulli sacerdotes comitabantur, infirmioris sexus custodes ducesque; inter quos Follanus, (Follarium alii appellant) lucensis pontifex erat: qui una cum illis, ne viri a feminis fortitudine vincerentur, confossus a barbaris; ut expeditionis, ita laureae gloriaeque comes fuit. Cujus nomen fama per manus tradita, sacris lucensium fastis adscriptum, ac memoria anniversario cultu aris consecrata, movere debuit scriptorem historiae pontificum italorum, (*a*) ne licitum sibi putaret Divos exauctorare; et ad arbitrium deputare coelo, aut expungere. Sed institutam narrationem prosequamur.

Gothorum gens, ut barbarorum plerique, qui romanum imperium laceravere, in ea septemtrionis parte, quam veteres Thulem, extremam terrarum, et Scandiam aut Scandinaviam appellarunt, ortum habuit. quam, cum ex ea toties aliis terris vastitas cladesque eruperit, irae Dei vaginam appellare quibusdam visum: tamquam efferatis illis nationibus, veluti gladio, iratum numen mortalium scelera

(*a*) Ughell. in Episcop. Lucensibus.

ulcisceretur. Hi primum domo profecti, in loca circa Tanaim ac paludem Maeotidem migrarunt, easque sedes Getarum nomine incoluere. Donec romanum imperium viris armisque floruit, Getae intra fines suos agere, etsi lacesserentur, tueri se ac propulsare injurias satis habuerunt. verum ubi primum ambitione, deinde luxu socordiaque romana res obsolevit; Moesiam, ac Thraciam finitimas regiones aggressi, mutuas clades inferendo accipiendoque, victi victoresque varia fortuna fuere; donec memorabili victoria Valente fuso, ipsi primum Theodosii armis, mox clementiae cessere. Theodosio inter mortales agente, Gothi cum Athalarico rege velut stipendiarii Romanorum egerunt: pace adeo sincera, ut defuncto Athalarico neminem in regno suffecerint. Tantum optimi principis mansuetudo in animis barbarorum valuerat. Sed ubi is fato concessit, cum Honorius, qui in occidentis imperio patri successerat, tantae moli impar, totum se Stiliconi vandalo permisisset, is ut erat perfidia singulari, incautum et principem et generum proditione aggressus, dum Eucherio filio purpuram molitur; callide egit, ut Gothi, negatis stipendiis, avare ac superbe haberentur; qua injuria accensi arma caperent; ipsi interea in rebus turbidis fa-

cilius ad destinata iter pateret. Nec spes eum fefellit. quippe ea contumelia irritati barbarorum animi, cum sese in Pannoniam recepissent, Alarico Balta (quae post Amalos nobilissima apud Gothos gens est) rege consalutato; Rufini accitu, qui omnia apud Arcadium orientis imperatorem potens, eadem quae in occidente Stilico moliebatur, romanos fines ingressi, magnam cladem intulere. Mox Alaricus cum Rhadagaiso, quem altera Gothorum pars regem creaverat, junctis viribus, vastata Thracia ac Illirico, ipsique Bisantio armis ostentatis, claustra alpium transire ac superfundere se Italiae parabat; copiis divisis, quo latius terrorem spargeret. Verum ea exercitus parte, cui praeerat Rhadagaisus, in transitu alpium cum duce per Stiliconem caesa; Alaricus armis felicius circumlatis usque ad urbem romanam iter sibi victoria fecit: eamque primus barbarorum post Brennum cepit; captamque militibus diripiendam dedit: Deo Romanorum scelera puniente. quod initium earum cladium extitit, quae illam deinde septuaginta annorum spatio afflixere. Sed Alarici victoria haud ultra praedam ac latrocinium progressa. eoque in Brutiis extincto, Gothorum res usque ad Theodericum regia Amalorum stirpe, in Italia pedem fige-

re minime potuere. Hic mortuo Theodemiro patre, cum orientalium Gothorum, quos Ostrogothos appellant, regnum suscepisset; ut erat ingentis spiritus, et quantaevis fortunae capax, Zenoni qui orienti imperabat, ob militarem virtutem carus, ab eo in Italiam ab Odoacris Heruli tyrannide vindicandam missus anno CDLXXXIII. illo acie victo regnum invasit. insigni barbaricae fidei documento; et veluti quodam principum christianorum fato: quorum cupiditates primum barbaros socios, deinde dominos fecere. hoc enim pacto etiam Turcarum res crevit; dum Graeci eorum ope in civilibus bellis utuntur docentque prius auxiliari, mox imperare. Theoderici imperium una cum caeteris Italiae populis Etrusci accepere. Principis belli pacisque artibus juxta clari; clementia in devictos, magnificentia in aedificando, optimis sine dubio annumerandi; nisi tot egregias virtutes parum sincerae religionis labe corrupisset. commune Etruriae fatum Lucenses sequuti. documento sunt regis ejusdem literae apud Cassiodorum (*a*), qui illi ab epistolis fuit. quippe inter ingentes imperii curas, minora non negligens; cum ad eum perlatum esset alveum

(*a*) Cassiod. lib. 5. ep. 20. variar.

Auseris, qui ex Apennini jugis ortus, per Lucensium fines mare subit; (tunc in Arnum se exonerabat) avaritia piscantium sepibus impediri, ita ut navigia libere commeare minime possent: Avilfo imperavit, ut eas navigantium moras tolli curaret. quod per se leve nec memoratu dignum, idcirco in annales retuli, quod in tanta veterum scriptorum inopia memoriam temporum juvet: indicetque Lucam inter primas Gothorum imperio paruisse: quemadmodum novissima in obsequio mansit: egregia, et plus quam barbaris praestari aequum erat, ad ultimum fide. Theoderico successit Athanaricus, nec consilio nec virtute avo comparandus; qui voluptatibus confectus brevi Amalasuntae matri regnum reliquit. Nihil in Amalasunta femineum erat praeter sexum. qui cum, ut capacem ita regnandi avidam, Gothorum legibus imperare non permitteret, ad matrimonium impulit. quare Theodato regii Amalorum sanguinis nupsit; ea conditione ut regium nomen penes virum, potestas penes ipsam esset. barbaro omnia pollicente, donec reginae matrimonio validus, majori pretio fidem frangeret. eo sublato Vitiges obscuro quidem loco natus, sed belli artibus clarus, imperium accepit. huic Ildibaldus, Ildibaldo Araricus, Ararico Totilas successit. vir

malo Italiae natus, bisque capta atque incensa urbe gothicus Nero. hunc pluribus magnisque victoriis elatum, Narses non ut molli corpore ita animo, post Bellisarium a Justiniano imperatore, in Italiam adversus Gothos missus, in apennino acie fudit occiditque: cumque eo Gothorum regnum extinxit, quod annos circiter septuaginta, armis virisque magna gloria floruerat. nam qui illum excepit Teias, perditas Gothorum res auxilio Francorum restituere conatus, praelio ad Nuceriam commisso, una cum gentis reliquiis deletus est.

Narses, Totila caeso, fortuna utendum ratus, victricibus copiis in Etruriam transgressus, pleraque oppida solo famae terrore in potestatem redegit. adjuvabat victoriam, quod plerosque barbarici imperii pertaesum erat; haerebatque in animis omnium Florentinorum clades, quorum urbem Totilas pene deleverat. Unde paria metuentibus tyranni odium, et exuendi obsequium circumspectus. advenienti Florentini obviam progressi, accepta fide nihil hostile passuros, sese urbemque dedidere. idem exemplum sequuti Volaterrani, et ad mare Centumcellae portu nobiles: omnisque Thusci maris ora, Pisaeque ipsae victorem accepere. adeo Narseti omnia prospere cedebant, victoriarum cursum sternente fortuna,

quam ipse pietate ac religione faciebat. Soli Lucenses moram felicibus armis injecere. nam et praesidiis Gothorum et munitionibus validi, cum imperata facere recusassent, Narsete ad colloquium vocato, datis obsidibus, triginta dierum inducias pacti sunt, ut nisi intra id tempus Francorum subsidium venisset, quo se non tantum propugnatorum more tueri, sed etiam aperto Marte decernere possent, sese urbemque victori permitterent. Haec autem ea spe promiserant, quod exploratum haberent, intra id spatium subsidium a Francis adfuturum; qui adeo Gothis favebant, ut Bultinus, seu Bucellinus eorum dux sese sacramento obstrinxisset, pro Gothis adversus Romanos bella gesturum. caeterum cum ad praestitutam diem auxilia non venissent, licet hac spe dejecti, tamen obfirmarunt animos, et stare promissis recusarunt: Narses, ut par erat, obstinatione Lucensium motus, jussit admoveri turres ac expediri machinas, caeteraque urbibus oppugnandis; invitum se ad eam rem cogi, Deum foederum ultorem testatus: malorumque quae captae urbi imminerent, reos futuros, qui tam superbe fidem fregissent; nec deerant qui jam irato faces admoverent, illum ad obtruncandos obsides adhortando: » cives ita meritos perfidiae suae poenas lue-

» re. hoc moerore animos eorum conficien-
» dos: hoc luctu contumaciam frangendam.
» non expedire foedifragos perjurii sui fru-
» ctum capere. abscissis consiliis in bello opus
» esse: misericordiam et clementiam ali perti-
» naciam. voluntaria barbarorum mancipia u-
» nos Lucenses Etruriae libertati obstare: unos
» victricium armorum cursum frangere. cae-
» teros populos sine vi et armis receptos ul-
» tro ad Italiae liberatores convolasse: hanc
» unam gentem inveniri, quae indignetur eri-
» pi sibi servitutem. interfectis obsidibus, pro-
» dito tot nobilium sanguine, Gothos fove-
» rent, Francos expectarent ». Haec duces,
haec milites fremere; his Narsetis aures at-
que animum verberare; sed, ille ut consilio
valebat, nihil per iram agendum arbitrabatur;
donec obsides viverent, posse eorum amore
obsessos ad deditionem compelli: iis occisis,
desperationem, inde pertinaciam et praecipi-
tia consilia ultima audendi. quin illum quo-
que sortis humanae miseratio subibat: » ho-
» mines nobiles, innocentes, alieni delicti vi-
» cem laturos. id vero crudele, et quod de-
» victarum gentium animos exasperaret. Ni-
» hil ne inter Romanos et Gothos discriminis
» futurum? quid amplius violata fide barba-
» ros ausuros, si ab innocentium sanguine Ro-

» manus non abstineat ? » Itaque quamquam ingentem iram conceperat, tamen imperavit animo: omissisque atrocibus consiliis ad graecas artes confugit. Jubet in medium adduci obsides revinctis post tergum manibus, demisso in terram vultu; eoque miserabili habitu civibus obstentari. simulque minas addit, quibus denunciat, ni in animum inducant imperata facere, seque fide exolvere, ad unum omnes interfici jussurum. ubi frustra haec fieri intelligit, obstinatosque in sententia perstare videt: truci vultu » feri, inquit, lictor. » ferant tandem superbi isti foederum rupto» res quod jam pridem meruere. hoc exem» plo qui deinceps volet Narsetem derideat. » Secundum haec lictores quanta vi poterant, elatos enses in obsidum colla tanquam abscissuri dejiciunt. sed a tergo ita coaptata ligna in occipitium surgebant, ut ferientium ictus frustrarentur, velis obtecta ne a civibus fraus intelligeretur. obsides ex condicto, ut ad quemque ictus pervenerat, in terram prolabebantur: manibus cruribusque, ut in extremo spiritu fieri solet, humi se volutantes. Nec deerant caetera mortis imitamenta, ut simulationi constaret fides. Id spectaculum cives primo defixos et attonitos habuit. stabant in muris tristi silentio ac stupentibus similes:

quaeque ipsa lugendi causas praebebat, atrocitas rei luctum abstulerat. mox, ut vere mortuos arbitrati sunt, quippe longinquitate loci dolum sentire non poterant, comploratione facta, in lacrymas se se questusque solvere. cum enim e prima nobilitate obsides essent, nec genere minus quam virtute illustres, tanto acerbius desiderium eorum ferebant. itaque totis moenibus luctu ac lamentis omnia personabant. sed in feminis praecipue doloris magnitudo eminebat; quae decoris oblitae ad tristem nuncium in muros procurrerant; effusaeque in lacrymas, scissis vestibus, solutis capillis, pectora et os unguibus lacerantes, aliae viros, aliae filios, quaedam sponsos, aut aliarum necessitudinum nomina ingeminabant: adeo miserabiliter, ut hostibus ipsis excirent lacrymas. Nec ignavo questu ac lacrymis contenti, ut quemque ira dolorque stimulabat, convicia in Narsetem jacere: » crudelem sae» vumque appellare, quique frustra se ad bar» baros persequendos venisse jactaret, cum » atrocibus factis omnem barbariam superas» set. hunc scilicet esse liberatorem Italiae, » hunc religionis assertorem! Si quidem ille » pius, ille libertatis vindex, quos sacrilegos, » quos eversores, quos tyrannos esse? Italiam » omnem plus multo Caesari obstrictam, qui

» ad se eviratum carnificem misisset: ipsos
» quidem ultima esse passuros, ac pro fide
» ad unum morituros. caeterum suorum san-
» guine ejus caput, totumque exercitum de-
» vovere: manes innoxios in ejus ultionem
» invocare; qui vivum mortuumque nusquam
» consistere patiantur. » Contra Narses cul-
pam in eos transferebat: » eos foederum ru-
» ptores, eos perjuros appellans, apud quos
» nihil promissa, nihil fides, nihil jusjuran-
» dum valuisset. inani misericordia lamentari
» eos, quos ipsi desertos proditosque morti
» addixissent. illos sanguinarios, illos carni-
» fices esse. Caeterum si sana consilia cape-
» re possent, adhuc paratum iis parcere: si
» se dedant, urbem incolumem futuram, non
» in bona, non in vitam cujusquam saevitum
» iri. quin obsides ipsos, quos pro mortuis
» lugeant, revicturos. Si alia animo agitent,
» jam jam fore, ut non alienam vicem, sed
» suam doleant. » Lucenses haec audientes
non tantum crudeliter saevire, sed et super-
be illudere Narsetem credebant: » num illum
» aliquem Deum esse, qui defunctis corpori-
» bus spiritum redderet? aut tam facile pos-
» se restitui hominibus animam, quam aufer-
» ri? » Quare ut eum suis artibus caperent;
se vero conditionem accipere inquiunt: seque

urbem dedere paratos, si obsides revixissent. prompte polliciti, quod facturi non erant, eadem fide qua Narsetem promissa impleturum rebantur. hac specie a se perfidiae crimen amoliri, et causam suam alienae levitatis exemplo facere meliorem. Tum Narses, obsides simulatione mortis abjecta stare in pedes jussit: eosque incolumes integrosque in conspectu suorum constituit. Illi insperato miraculo attoniti, vanas somniorum imagines ac ludibria fallaci specie cernere putabant. mox ut oculis constitit fides, defixisque obtutibus ora suorum habitumque agnovere; stupore in laetitiam verso manus ad eos tendere, gestire complexibus: illos vivos, illos incolumes non aliter gratulari, quam si ab inferis revixissent. sed, ubi satiatis affectibus animorum impetus quievere, de urbe dedenda agi coeptum. Alii standum promissis, nec ultra tam pium hostem ludificationibus trahendum censebant. » Si Nar-
» ses justa ira obsides vera morte affecisset;
» num iterum revicturos? Alii contra manen-
» dum in fide. ituram inter exempla urbem
» regibus suis in tanta fortunae inclinatione
» fidam. quid tam ad famam posteritatis glo-
» riosum, quam Lucenses solos fortissimo ejus
» aetatis duci obstitisse: solos Gothorum im-
» perium substinuisse: solos Caesaris victoriam

» remoratos. satis constare hostium imbecilli-
» tatem; quod fraude cum ipsis agant. mu-
» nitiones vi et armis, non vanis terroribus
» expugnari: ad extremum si fortunae ceden-
» dum sit, honestius vinci urbes quam dedi. ».
Haec opinio tandem vicit. Narses, quamquam
in eam vesaniam abreptis, ut par erat irasce-
batur: tamen magnitudine animi utendum ra-
tus, obsides reddi jussit: si eo beneficio sal-
tem obstinatas Lucensium mentes vincere po-
tuisset. Obsides autem ut in urbem venere,
coetibus hominum immixti, Narsetem laudibus
in coelum ferre: quam comiter, quam libe-
raliter ab eo habiti essent praedicare. nemi-
nem illi virtute, neminem religione, nemi-
nem justitia aequari posse. Denique apud quos-
cumque loquerentur, Deum illum facere. Hi
sermones brevi plusquam arma valituri vide-
bantur. et jam in animis vulgi labefactari con-
stantia, ac nutare incipiebat. cum principes
arte ducis intellecta, tanto magis in sententia
obfirmari, labantibusque ad perseverandum au-
ctores esse.

Inter haec Narsetem magnae curae ange-
bant. quippe armorum suorum gloria obsole-
scere in dies videbatur, dum tamdiu unius
civitatis muris assidet. nec ei laetiora ex aliis
partibus nunciabantur: iniquiore etiam fortu-

na euntibus, quae in Gallia Cisalpina ac Aemilia per duces suos ageret. nam licet initia ad Ravennam prospera, tamen infelici exitu ultima foedabantur: et ad Parmam temeritate Fulcaris Herulorum praefecti, qui stolide ferox omnia inconsulte agebat; dum non servato more ac disciplina militari, inexploratis itineribus exercitus urbem subit: in insidias praecipitatus, a Bultino Francorum duce, qui una cum Leuthari ad ferendum Gothis auxilium, in Italiam cum exercitu LXXII. millium armatorum descenderat; partim caesus, partim ignobili fuga turpem salutem quaesierat. quare anceps animi consilium minime expediebat. Nam et morari irritum, et discedere pudor erat. itaque inter pudorem et iram perseverare tamen decrevit. compositisque in Gallia Cisalpina ac Aemilia rebus per Stephanum Epidaurium unum e praefectis virum strenuum, et bellicae artis peritum, omni contentione oppugnare Lucam statuit; certus civium pertinaciam, quando beneficiis non licuisset, vi et armis frangere. Quare concione advocata, in hunc modum alloquutus milites est:
„ Quousque tandem, commilitones, unam urbem
„ victoriae vestrae, gloriae meae, Italiae li-
„ bertati obstare patiemini? ardua ne magis
„ sunt Lucae moenia Apennini jugis, quem

„ natura Italiae murum constituit; ut transcen-
„ dere illum victoria nostra potuerimus, ista
„ non possimus? credite, commilitones, Toti-
„ la caeso, exercitu tot millium trucidato,
„ tot civitatibus in fidem acceptis, nihil actum
„ est, si hanc urbem hostium esse siverimus.
„ ac urbe incolumi, tam fida, tam valida,
„ numquam se Gothi victos arbitrabuntur. cum
„ feris belluis nobis res est, quae nec mansue-
„ tudine mitigantur, nec terrore vincuntur:
„ hi obstinatione sua spem hostium alunt; de-
„ ditorum animos sollicitant; quos eorum com-
„ paratione fractos mollesque fuisse, fortasse
„ nunc poenitet. Itaque si solidam laudem cu-
„ pimus, igni ferroque haec gothici belli se-
„ des excindenda est. hi muri sunt victoriae
„ vestrae obices, hi gloriam vestram moran-
„ tur, in hos Italiae libertas offendit. hac una
„ victoria vertitur imperii decus, vestra laus,
„ Italiae salus, excidium barbarorum. quare,
„ aut haec decora recusanda sunt, aut hinc
„ victoribus vobis revertendum, milites, est.
„ in conspectu orbis universi sumus, qui nos
„ unius urbis exitu metitur. et famae iniqui-
„ tate, duces aestimantur ex eo quod non
„ perfecerunt. vestras manus, vestra arma la-
„ crymans Italia respicit; quae nunquam se
„ liberam putabit; donec hoc jugum cervici-

„ bus suis immineat, donec stabit hoc asy-
„ lum barbaricae servitutis . „ Adhuc dicenti milites magna claritate obstrepunt oppugnationem poscentes : „ nimium jam patientia pec-
„ catum . crevisse mansuetudine hostibus auda-
„ ciam . ferro, flammisque in contumaces sae-
„ viendum . „ Coepta igitur validissime oppugnari urbs omni telorum genere . simul machinae muris, ariesque admovebantur : pluteis vineisque, ac caeteris oppugnandarum urbium operibus intento milite . malleoli etiam pice ac sulphure obliti, ac telis illigati, tormentis intra moenia adigebantur : quae ut in materiam concipiendo igni aptam inciderant, infixa et haerentia incendium excitabant, quod vento dilatum, proxima quaeque comprehendebat . Rari in muris propugnatores consistere poterant . nam ut quisque per pinnas, aut intervalla turrium appareret, saxis sagittisque dejiciebatur. Unde obsessis labor et fatigatio, ac in tot malis consilii inopia . sed deficientibus caeteris, animi durabant . certi omnia prius experiri, quam in hostium potestatem venirent . quare omni arte in oppugnatores intenti, omnia tueri, omnia obire, ne quis locus propugnatoribus vacuus, transitum hosti daret; tela etiam e turribus ex occulto jacere, nec quicquam omittere, quo hostiles conatus

irritos redderent. Sed jam crebro arietum pulsu verberata murorum compages laxaverat, eodemque tempore subruentibus aliis, urbs munitionibus suis nudata hostem admittebat: sed nihilo secius incolae suis ruinis se tuebantur, proque moenibus turribusque civium pectora urbem tegebant. In ea clade, qui apud Narsetem obsides fuerant, hac illac discurrere, adhortationes, preces, lacrymas etiam miscere. victoris clementiae se permitterent, nec inexpiabili crimine se implicarent. adhuc misericordiae locum esse; adhuc placabilem ducis iram: ne vim et belli jura expectarent, seque ac suos una ruina involverent. Sed his precibus franci duces, qui in praesidio urbis erant, minaciter obstabant: labantesque infestis animis ac severa castigatione in arma ac praelium urgebant. Itaque apertis portis cives eruptione facta in hostes invecti sunt. sed ea re parum promotum. siquidem maxima pars civium cum fractis desperatisque rebus ad deditionem spectaret, consulto minus strenue pugnaret: unde sponte ignavos vincere facile erat. ob eamque causam cives saepius egressi repulsique non sine suorum caede in urbe se recipere cogebantur. jamque ad extrema ventum erat, obsessis omni auxiliorum spe, aut armis suis urbem tuendi accisa. quare coacto

concilio, facilis deliberatio fuit; cunctisque ad quieta consilia versis, missi qui de conditionibus dedendae urbis cum Narsete colloquerentur. Deditio in has leges facta, ut nulla praeteritorum memoria ratioque haberetur: nec civitati hostile quidquam fieret. quibus constitutis legati, septimo tandem postquam obsideri coepta est mense, urbem honestissime dedidere. Narses cum exercitu victore Lucam ingressus, alter alteri miraculo fuere. quippe ille urbem tot mensium spatio romanis armis ausam obsistere: illa non fortem magis quam clementem ducem admirabatur, qui in victoria modum servasset; famam posteris invicem commendaturi. nam et Narseti gloriosum tam validam urbem in suam potestatem redegisse: civesque tam clari ducis fortunam a se retardatam, in annalium memoriam iturum laetabantur: regnumque fortissimae Gothorum gentis stetisse secum et concidisse. Luca in graecorum imperatorum potestatem iterum redacta, quod contigit anno DLIII. cum jam in Etruria nihil hostile reliquum esset; Narses victoriis gloriaque auctus, longiorem ibi moram trahendam minime duxit. sed bella ex bellis serens, caeteras Gothorum reliquias persequi statuit. Itaque Bono ex Moesia, quae ad Istrum porrigitur, qui Lucae praesideret,

relicto, cujus virtuti multum fidebat: cum ea militum manu, quae civibus barbarisque, qui in urbe essent, in officio continendis sufficeret; ipse cum esercitu discessit, ut solidam liberatae Italiae laudem, barbaris ubique deletis, consequeretur. Vir bellica fortitudine antiquis ducibus comparandus, pietate ac religione etiam major; nisi claram tot victoriarum famam, ac celebre illud liberatoris Italiae nomen, barbaris iterum ad eam opprimendam vocatis, nimius ultor doloris sui deinde corrupisset. Rem ut in antiquis annalibus reperi, cum fide memorabo.

Gothis Italia pulsis, aut qui in ea restiterant, servire coactis, Narsetem, ut victoriae suae fructum caperet, Justinianus imperator italicis rebus praefecerat. Ille, sive secundis rebus, ut ferme fit, elatus, nimium se fortunae permitteret, subjectos premendo, avaro saevoque imperio; sive turbidis Romanorum ingeniis, praesentibusque dominationibus semper infensis, parum prospera fama erat. et Justiniano quidem incolumi, beneficii magnitudo rumoribus obstrepebat. at eo sublato apud Justinum, qui illi in imperio successerat, ut minus obnoxium acerbitas inimicorum valuit: frustra se barbaris ereptos invidiose querentium, si acriori servitio a Narsete premeren-

tur : „ satius fuisse Gothorum jugum pati, cui
„ jam assueverant; quam Graecorum quos no-
„ vitas ipsa graves faceret quodque incer-
„ tum acerbius an turpius esset, Italiam semi-
„ viro tyranno servire, qui olim in feminam,
„ nunc in belluam transisset. „ Aderat Roma-
norum querelis Sophia Justini uxor, Narseti
pridem occultis causis infensa, levemque viri
animum femineis artibus in illum incendebat.
quare nil propius factum est, quam ut Nar-
ses atrocibus literis ab Italia revocaretur, ad-
dita etiam verborum contumelia, quibus ab
Augusta, ut eunuchorum mos est, ad pensa
et lanam invitabatur; prava admodum ratione:
juxta periculoso irritare magna vitia ac magnas
virtutes. Narses acceptis literis, ac successo-
re audito (Longinus Patricius is erat.) aeger
animi ac injuriae impatiens metu simul ac ira
stimulatus imperatori respondit: „ se, si Ro-
„ manorum criminationes verae sint, judicium
„ non recusare; Augustae autem, jampridem
„ eo successu qualem orbis vidisset, a pensis
„ ad arma transisse. caeterum quando illa ad
„ veteres artes revocaret, eam se telam or-
„ surum, quam nec ipsa nec vir ipsius re-
„ texerent, „ quae seu vere seu falso in vul-
gus jactata, ad famam posteritatis perinde va-
luere. hoc dolore concepto, ne inimicorum

oculos ignominia satiaret, Narses Roma excedens Neapolim se contulit; minax et metuens; incendiumque in se excitatum ruina extincturus. Nam inde legatis ad Alboinum Longobardorum regem missis, illum ad invadendam Italiam; mutandasque solo caeloque malignas Pannoniae oras, felicibus terris invitavit. Usus erat Longobardorum ope Gothis Italia pellendis Narses; sed ferocia ac insolentia non hostibus minus quam amicis graves dimiserat. foedis saevisque libidinis et crudelitatis vestigiis ubique relictis: cum eorum violentiae nihil profani, nihil sacri sanctum inviolatumque fuisset. quare mores eorum expertus illos et Romanis puniendis, et ulciscendo dolori suo suffecturos judicavit. de qua gente, ut ante polliciti sumus, pauca dicenda sunt. Natio Longobardorum, ut caeterae gentes Italiae fatales, in Scandia originem habuit. inde duos fratres sequuti, seu patriae regionis taedio, sive multitudine exundante, coacti mutare sedes: primum in regionem ultra Scytas, qui Europam incolunt concessere. mox in partes divisi, quarum altera intra Danubium et Noricos, altera terras inter Albim et Vidrum, quaedam Herulis pulsis Daciam occupavit. sed ea pars omnium maxime claruit, quae Andoino duce, fugatis Hunnis in

Pannonia consedit: unde auxiliarii primum, dein dominaturi Italiae exercitus transmisere. mores genti etiam ultra barbaros feri, libido foeda, nullus fidei nisi cum expediret, nullus religionis cultus, aut pudendus. quippe tam stolida superstitione, ut caprinum caput loco numinis adorarent. Sed eam in Italiam transgressi, primo Arianorum errore, dein sincera Romanorum religione mutavere: ferocia mansit. iidem extructores eversoresque templorum, et in media pietate sacrilegi. his moribus, cupidine etiam regni in pejus auctis, Alboinus Longobardique in Italiam venere: feminas puerosque, ut migrantium mos est, secum trahentes: magno praeterea barbararum gentium comitatu; Gepidis, Sarmatis, Suevis, aliarumque nationum foeda colluvie. nam Saxones solos ad XX. millia fuisse constat. quae scribenti mihi post tot saeculorum spatium subit admirari rerum humanarum vices: tanta fortunae conversione, ut omnibus barbaris ludibrio esset ea provincia, unde ad omnium gentium triumphos invicta arma processerant. Ingressus Italiam Alboinus, anno DLXVIII. tam funesta clade memorabili: primum Aquileja, dein Forojulio, mox armis felicibus, cunctis ultra citraque Padum urbibus, ipsisque Ticino ac Mediolano potitus:

rex demum Italiae fausta acclamantibus appellatus est. Ticinum, vetus olim Gothorum regia, regni caput ac sedes lecta: utpote munitionibus valida civitas, et situ fluminis opportuna. Sed non Insubriae terminis ambitio regis finita. nam cupidine novi imperii in Æmiliam, Umbriam, Etruriamque transgressus; omnia ferme suae ditionis fecit. quo tempore cum caeteris Etruriae populis Luca etiam in Longobardorum arma concessit. Victae regiones, praeter eam cui rex imperabat, quae adhuc Longobardiae nomen retinet, singulis praefectis, veluti regulis attributae; quos novo imperii vocabulo duces appellavere: quorum, qui Etruriae principatum obtinebat, Lucae sedem locavit. extat adhuc regiae Longobardorum olim innexa D. Virgini sacra aedes operis antiqui, quae D. Mariae in Palatio nomen servat: forumque adjectum cors regia de more illorum temporum appellatur. Periti antiquitatis affirmant, hanc regiam totum illud spatium occupasse, quod a Giliorum aedibus ad palatium decemvirale interjacet. pilarumque ingentium moles per eum tractum in privatorum domibus, veteris magnificentiae vestigia, fidem adstruunt. Haec florentibus Longobardorum rebus, haec eorum regno sublato tot regulorum Etruriae

sedes, ac inter eos magnae Mathildis: haec augustum tot regum, tot imperatorum pontificumque hospitium. quae nunc de veteri splendore nil nisi nomen, et ruinarum vestigia retinet.

Alboino per scelus uxoris sublato, Clephus regni comitiis per principes habitis suffectus est, insigni nobilitate. Sed superbia saevitiaque regium nomen ita invisum reddidit, ut eo pueri manu, qui illi in ministeriis erat, confosso Longobardorum proceres, X. annorum interregno nullum in ejus locum creaverint. ita constituta republica, ut per XXX. regulos, qui singulis civitatibus, ut eas quisque occupaverat, dominabantur, longobardica res administraretur. sub imperio quorum, saeviorem dominatu libertatem Italia passa est: dum quisque in sacra ac profana, nullo potentioris metu, tyrannidem exercet. Sed impendente bellorum mole, Francis Mauritii imperatoris instinctu, in eos arma parantibus; iterum consensu ad reges reditum: bello expedita consilia poscente, quae a multis aegre impetrantur. suffectus igitur patri Clepho filius Autharis, cui et regius sanguis, et virtus praerogativam dederat; quem minuendo barbari nominis pudori Flavium dixere: quo nomine deinceps alii Longobardo-

rum reges appellati, honoris causa: ut quemadmodum romani principes, Caesares et Augusti, ita illi Flavii dicerentur. Autharim Agilulphus excepit; qui magni Gregorii cura per uxorem Theodelindam virilis animi ac insignis religionis feminam, ab ariana impietate una cum tota Longobardorum gente, ad veram religionem traductus est. hunc insequuti Adaluvaldus, Arioaldus, Rotharis, Rodoaldus, Aripertus, Gundebertus, Pertharitus, Grimoaldus, et Garibaldus: quo deturbato iterum in regnum restitutus est Perthariius, qui jam ante cum Gundeberto fratre regnaverat; ejusque insidias veritus, exulatum sponte ad Hunnorum regem iverat, Ab eo traditur aedificari coeptam Lucae D. Frigdiani basilicam, pietate ac magnificentia utraque regia: saxo quadrato, ex veteris amphitheatri ruinis, cujus vestigia, ut ante memoravi, non longe ab eadem basilica cernuntur. Turri ingentis operis adjecta: quam toti urbi imminentem, et si ab exteris vel domesticis hostibus occuparetur, magnum momentum facturam, publice custodiri posteris visum: ne aliquando in perniciem verteret, quod majores pietatis monumentum esse voluissent. in eo opere non tam amplitudo et vastitas, quam miraculo est ars. quippe architecti solertia,

ita inter se junctis lapidibus, ut una continens structura videatur. praecipuo stupore etiam clarissimis ejus artis, quemadmodum tam immensa lapidum moles adeo gracilium columnarum fulturae incumbat: ut subeuntium oculis non alia magis species occurrat, quam subsidentis in semet operis, jamjamque ruituri. sed cum eam perficere Pertharitum mors prohibuisset, Cunipertus filius, regni religionisque haeres absolvit, anno DCLXXXX. augustum opus, et duorum regum conatibus par: dignumque magno sacerdote Frigdiano, cui ea moles sepulcrum destinabatur. cujus mentionem in hunc locum rejecimus, ne institutae narrationis ordinem perturbaremus. Natus erat in Hybernia, quam veteres Scotiam quoque dixere, in ea parte quam Ultoniam appellant, regio sanguine, regiis virtutibus. Domo Romam, inde Lucam profectus, cum ibi aliquandiu consedisset, ita civium animos innocentia ac sanctimonia sibi devinxit; ut cum Geminiani morte locus vacaret, magno consensu sacerdotium urbis ei delatum fuerit: eo tempore quod inter Gothorum extrema, ac Longobardorum initia intercessit. in eo gradu honoris, iis virtutibus, ea prodigiorum gloria egit, ut idem venerationi, idem cunctis miraculo esset. Unum e

multis, clarius famaque magis celebratum memorabo: unde conjectura legentibus facilis, et pronior in minora fides. Flumen Æsar modicis fontibus in Apennini jugis, non longe ab oppido Silano oritur, amoeno silvarum margine, ac liquore et frigore aquarum nobilis. Dum per prona montis adhuc decurrit, suis dumtaxat aquis contentus, humili amne labitur: donec subjecta planitie exceptus, confluentibus in eum rivis amnibusque Ania, Turrita, Fegana, majore aquarum gloria fluit. praecipue illum auget Lima, ad pagum Chifenti in eum influens; amnis et copia undarum caeruleo colore, marinos fluctus referentium, et piscoso alveo memorabilis, inde longo tractu, cingentibus illum hinc inde perpetuo dorso montium jugis, quae pinnas, vetere vocabulo, ob altitudinem appellant, in angustum cogitur: quousque ad sextum lapidem, in aperta per ingentis operis pontem se evolvit: et spatio liberiore campos invadit: spumeus, et accolis per hibernos imbres timendus. ea praesertim tempestate, qua flexus in orientem, per lacum cui nomen Sexto, Arno miscebatur. quippe ubi Arnus excresceret, ejus repercussu refluentibus aquis, Æsar late stagnando lucensem agrum obruebat: simili Pisanornm clade, cum Æsare Ar-

nus exuberans adjectos campos diluvio inundaret. ferunt autem tam violento aquarum illisu Æsarem influere Arno solitum, ut attollentibus se undis, qui in ripis utrimque ad confluentes starent, mutuo aspectu prohiberentur. Quin et Graecorum fabulis locum amnes fecere. quippe traditum memorat illustris auctor Strabo (1), quo tempore illi e montibus in plana delati sunt, incolas veritos ne si vires uno alveo jungerent, eluvione agros vastarent, omni ope nisos, ut eos in diversa distraherent. Sed fluminum Genios adstitisse, professos nolle Deos amicas undas divelli, neque dissociari: deinceps tamen suos amnes innoxio cursu lapsuros: promissisque stetisse. Sed specioso mendacio, ut par erat, fides abfuit; saepiusque aquarum latrocinio, agricolarum ereptus labor, ad vetera consilia divortii fluminum animos revocavit. verum immensitas operis deterrebat, et quae semper publicis bonis obstabit, privata utilitas: quippe reputantibus, non aliter flumina avelli posse, quam si novus alveus aperiretur. quem autem velle suis agris amnem accipere, cujus injuria ipse, commodis alter frueretur? Sed tunc ultra solitum eluvie adeo inundaverat; ut jam

(1) Strabo: lib. 5. Geograf.

non agris sed urbi ipsi minaretur. territis civibus, et in communi rerum suarum strage moerentibus, nullo consilio adversus tam validum hostem; fama est sanctum sacerdotem Frigdianum, ea calamitate motum ad fluminis flexum venisse: precibusque, ut rei magnitudo poscebat, ad Deum fusis, mox ardenti vultu ac fiduciae pleno consurrexisse: manuque rastrum praeferentem, imperasse flumini, ut qua duceret, sequeretur. tum rastrum per terram trahere coepisse, tamquam viam aquis monstraret. mirum dictu! veluti sensus animusque flumini inesset, immensum aquarum agmen, a vetere cursu declinans, obedienter ducentem sequi, ac in meridiem conversum recta mare petere coepit. attoniti magnitudine rei incolae, sanctum virum amplecti, manus osculari, in genua tamquam praesenti Deo accidere: frementibus interea, quorum agris superfuso amne, damno magis quam miraculo movebantur. Eo beneficio non Lucenses modo pluribus locis, sed qua praecipue amnis fluxerat, ad Lunatam pagum, Frigdiano jam inter divos recepto, quadrato saxo templum struxere: sed etiam Florentiae Pisisque ejus nomini celebris aedes dicata: quae dum haec scribimus fortuito incendio absumpta, domus regnatricis liberalitate in antiquum splen-

dorem restituitur. Digna ea res visa, quam magnus Gregorius illorum temporum proximus literis commendaret (1). quamquam omni literarum monumento perenniora, solo ipsi haereant ingentis facti vestigia. quippe toto eo tractu, quem alveus fluminis occupaverat, lapidosis arvis sabuloque quale amnes vehunt opertis: quae ad hanc diem riparum nomine incolae appellant: frugum sterilitatem, prodigii memoria famaque pensantibus. Ut mirum non sit, recenti adhuc miraculo in divi honorem eam basilicam a duobus regibus extructam; quam etiam insigni liberalitate, attributis praediis Cunipertus ditavit.

Nec Frigdianum modo, Hibernia divorum ferax, circa eadem tempora Lucensibus dedit; sed et Silaum regio sanguine ac sacerdotio insignem, magni Patricii discipulum: cui Lucam veniendi, hanc causam vetusta monumenta fuisse tradunt. Mingardis ipsius soror, quae in actis regina appellatur, Romam religionis causa profecta, in itinere Lucam divertit. erat eo tempore, longe princeps civitatis Sofredus, qui nobilitate ac divitiis tumidus, cum priore conjuge extincta, aliam ducere quaerendae soboli a cognatis suaderetur, civium connubium,

(1) D. Gregor. lib. Dialog cap. 9.

tamquam fastigio suo inferius spreverat. Is cum caeteris civibus in reginae occursum officii causa egressus, eximia forma ac aetatis flore ita exarsit, ut illico eam sibi conjugem, volentem nolentemque destinaverit. Sed religio pium Mingardis consilium impediendi obstabat; ne in se caelestes iras verteret. itaque temperandum affectui ratus, cujus alioqui potens non erat, quamdiu solutis votis Roma redisset: in reditu Lucam appropinquantem, insidiis excepit; raptamque per vim, intra ditionis suae oppidum, situ ac operibus munitum clausit. Moti regiae virginis injuria consules civitatis, simulque hospitii jus violatum, reipublicae probro ducentes, Sofredum imperio minisque; utque obstinatum vident, vi et armis aggrediuntur: aedes diruunt, oppida evertunt, aliisque damnis contumacem afficiunt. neque tamen propterea Sofredi pertinacia victa. quod Mingardis intelligens, necessitate in consilium versa, quando fortuna corpus Sofredo dedisset, tradere ipsa animum statuit. cumque magno populi gaudio illi nupsisset, regio apparatu ac in triumphi speciem, cum sponso in urbem excepta est. novem annis feliciter in eo conjugio transactis; tandem gravi morbo correpta, ubi ex eo convaluit, permissu viri, inter sacras virgines ad D. Justinae Salvatorisque

aedem, quam in Brisciano appellabant, reliquam aetatem exegit: ibique demum expleta mortalitate, magno funeris honore sepulta est. post ejus obitum Silaus in Italiam veniens, Lucam accessit, ut sororis defunctae cineres saltem inviseret; novissimasque expiandis illius manibus preces adhiberet. A Sofredo Mingardis viro magnifice exceptus sacris funebribus ad sororis sepulcrum peractis, romanum iter prosequutus est. ex quo dum revertitur, in itinere morbo tentatus, Lucam iterum venit. ubi ultimae necessitatis coelesti oraculo admonitus, apud D. Justinae aedem deferri, in eaque ubi vivere desisset, tumulari prope sororem jussit. cujus ut vita, ita mors prodigiis clara id egit, ut coelestium honoribus coleretur. ejus memoria usque ad hanc aetatem solemni ritu celebratur: sacris virginibus, quae defuncto corpori adsident, tanti depositi honorem, pio studio certatim promoventibus.

Sed ad Cunipertum redeamus, quo regnante una cum patre, turbatis, Graecorum perversa subtilitate, in Oriente religionis rebus, Agatho, qui summum pontificatum obtinebat, sacerdotum concilium Romae iis turbis componendis habuit; cui Eleutherius lucensis antistes interfuisse, ac decreta ejusdem sua

manu signasse, ex actis colligitur (1). quemadmodum Laetus ejus decessor, illi concilio interfuerat, quod Martinus pontifex coelestium honoribus consecratus, in Lateranum coegerat. Post Cunipertum, suavitate morum, audacia in bello, sed religione praecipue Lucensibus memorabilem, novem annorum spatio quatuor reges Longobardorum res tenuere: donec regnum, Asprandi patris morte vacuum, ad Luitprandum pervenit: omnium ante regum ejus gentis, armorum gloria ac pietate clarissimus. eo imperante Lucensem una cum Etruriae totius praefectura, tenuisse Valpertum reperio: qui una cum Talesperiano, tunc sacrorum Lucae principe aedem in D. Petri honorem ad vicum Cassianum extrui permisit, Anno DCCXIV. quam sumptu suo pii conjuges Ildeprandus et Ferilapa, a solo extruxere: ut vetus inscriptio grandibus rudibusque literis testatur: stylo notisque barbariem temporum referens. cujus Valperti usque ad annum DCCXXXVI. memoria, in basilicae martinianae tabulario extat. genuit Pertrandum, Pertifunsum, et Valprandum: quorum postremus lucensi sacerdotio post Talesperianum potitus est: ita ut penes patrem reipublicae,

(1) Tom. 2. Concil. in actis VI. Synodi. Act. 4.

apud filium sacrorum potestas esset. Valprando res sacras administrante obiit Lucae Richardus regio Anglorum regum sanguine: qui ex ultima Britannia religionis causa in Italiam profectus, apud nos peregrinationis vitaeque cursum absolvit circa Annum DCCL. eumque post mortem consecratum in basilica D. Frigdiani, ubi ejus cineres conditi jacent, stato die, thure et aris colimus. nec sua magis quam filiorum virtute celebris: divus, triumque divorum genitor, tam foecunda tunc virtutum Britannia, quam nunc scelerum. cui insulae non Richardum modo, sed etiam Peregrinum Luca debet; regio et ipsum Scotorum sanguine: qui Laeto, cujus paulo ante meminimus, civitatis antistite; in alpibus Lucensium, ubi aliquandiu ab hominum coetu submotus, cortice arboris illi domum praebente, asperam vitam egerat, senio confectus decessit; ibique sepultus magna circa populorum religione colitur. Luitprando diu regi repentina morte sublato, Ildebrandus successit; cujus post septem menses pertesi Longobardorum proceres, Rachisio regnum detulere: cui, cum is abjecta purpura monachi vitam professus esset, Aistulphus frater subrogatus est: non minus rerum gestarum fama, quam italicorum poetarum carminibus clarus. cujus regis nu-

misma aureum apud nostros extat, ex altera parte crucis signo, regioque nomine: ex altera Lucae, Flavio cognomine adjecto inscriptum. eo regnante Lucensibus Etruriaeque imperitasse. Alpertum, qui fortasse Valperti filius erat, in tabulario lucensium pontificum reperio. Huic Desiderius in Etruriae principatu successit: quem Lucae natum educatumque, scriptores rerum lucensium fama per manus tradita, literis prodidere. quod decus, ut urbi nostrae non invideam: ita veterum monumentorum fideí subnixum minus timide affirmarem. hic ille est Desiderius non minus fortuna quam calamitate celebris; in quo regnum Longobardorum defecit. quod quemadmodum contigerit, ab re non erit breviter referre.

Post excessum Aistulphi, cum is regni haeredem non reliquisset: Desiderius summae spei imminens, Tuscorum ope quibus praeerat, ad imperium evectus est. ita Lucensibus favente fortuna, ut eodem fere tempore eorum praefectus, et forte etiam civis regnum; ac Vitellianus lucensis gradense sacerdotium obtineret, quod post romanum, Italiae summum erat: cum aquilejensis (ut vocabant) patriarcha, Longobardorum metu, ad aquas Gradatas, non longe ab Aquileja sedem tran-

stulisset: et eum quem Gisulphus Forojuliensium regulus Aquilejae creandum curaverat, ejusque successores, romanus pontifex ut patriarchas nondum agnovisset. Desiderii creationem indigne adeo Rachisius accepit; ut abjecto humili habitu, quem ante praeteritae vitae poenitentia induerat, diadema iterum ac purpuram meditans, in eum ut tantae fortunae imparem, ex monacho miles arma compararet. sed pontificis maximi auctoritate, expeditionem impetu magis quam consilio susceptam, relinquere coactus, quietam Desiderio imperii possessionem reliquit. Is Lucensem Etruriaeque principatum primo in Adalgisum filium; mox eo in regni consortium adscito in Tachipertum transtulit: quem Lucae habitasse, ibique Tuscorum regulorum more jus dixisse per ea tempora, ex tabulis vetustis colligimus. Inter primordia regni Desiderius modeste agere, omnia consilia ad justitiam ac religionem referre: etiam optimis imitatione futurus gravis. verum paulatim, seu posita simulatione, sive fortunae indulgentia corruptus, alios mores, alias artes induere. Sed nihil illi magis exitiosum fuit, quam longobardis regibus insita dominandi cupido; imperiumque quacumque ratione proferendi. nam dum romano pontifici subjectas urbes invadit;

exutaque reverentia, potestatis secundum Deum maximae, nec preces nec minas audit; pertinaci ambitione sibi regnoque exitium conflavit. Siquidem Adrianus, qui tunc romano sacerdotio pollebat, longobardicae servitutis pertaesus; Carolum Francorum regem in Italiam excivit: quem pietas, rerumque bello gestarum gloria, magnum fecerant, etiam antequam diceretur. Carolus superatis alpibus, sive caesis, ut fama est, magna clade Desiderii copiis, quas ex toto regno collectas secum ille in occursum Francorum eduxerat, sive solo terrore, ut alii tradunt, intra moenia Ticini illum compulit: ibique longa obsidione clausum, desperatis rebus ad deditionem pertraxit. qua victoria regnum Longobardorum sublatum est, quod per annos CCVI. Italiam variis artibus presserat extuleratque. Rex captivus cum uxore ac liberis in Galliam deportatus; ibique usque ad mortem in custodia habitus. quem defunctum, in eodem conditorio ad pedes suos Carolus tumulari jussit, velut etiam de mortuo triumpharet. contingit ea clades anno DCCLXXIV. quo Italia iterum barbarorum jugum, sed non exterorum excussit. Desiderium novis moenibus Lucam cinxisse, urbemque ab eo prolato pomoerio auctam, scriptores rerum lucensium tra-

dunt. Ejusque regis opus contendunt, quae adhuc posteritatis miraculo supersunt, ingentium portarum claustra turresque quadrato saxo extructae: continenti etiam per intervalla turrium, ejusdem operis muro. nec structura a ratione aedificandi eorum temporum abhorret: sed nulli rerum antiquarum scriptores eam famam adjuvant. quique nostrorum id literis prodidere, decepti sunt commentitio Desiderii edicto, quod in lapide alabastrite apud Viterbienses legitur, ab Annio confictum: quemadmodum etiam deceptus est, clari nominis italici regni historiarum scriptor, quem indeprensae adhuc fallacis hominis artes, in fraudem induxere (1). Caeterum hic urbis nostrae princeps, et fortasse etiam civis, nullam nisi fortunae improsperae memoriam nobis reliquit: tam clara amisso regno apud posteros fama, quam aut Alboinus parto, aut Agilulphus firmato.

Finis Libri Primi.

(1) Sigon. Lib. 3. de regno Ital.

LIBER II.

BREVIARIUM LIBRI

Carolus Magnus Italiae imperat. Pontificem Maximum imperio auget. Italici regni fines, Luca reguli paret. S. Vultus Lucam adventus. D. Reguli corpus urbi illatum. Item D. Luciñae. Imperium a Graecis ad Francos translatum. inde ad Germanos. Bonifacius Lucensium regulus. contra Saracenos pugnat. Urbem cognominem in Corsica condit. Aganus illi succedit. ei Adalbertus Bonifacii filius. Lambertus et Guido Spoletanorum reguli Italiae regnum affectant. iis Adalbertus favet. Religionem ac pontificatum turbat. Bertae uxoris illius mores. Adalbertus bellum Lamberto infert. ab eo captus et irrisus. a Berengario e custodia dimittitur. cum eo foedus init. Ludovicus Provinciae rex Lucam venit. magnifice ab Adalberto excipitur. Adalbertus moritur. ejus elogium. Sigifredus lucensis in Galliam Cisalpinam migrat. Guido Lucae imperat. Berta et Guido a Berengario capti. dimissi bellum in eum parant. Berengarius occiditur. Berta moritur. Hugo Italiae rex ejus filius pagum martinianae basilicae donat. Ermingardis ejus soror ad D. Justinae sepulta. Guido Maroziam uxorem ducit. pontificem capit.

perimitque. fraude uxoris occumbit. ei succedit Lambertus. Hugo Italiae regnum consequitur. Maroziam uxorem ducit. Adalberti domus infelici exitu extinguitur. Boso Lucae imperat. ei succedit Humbertus. Adeleis regina Malespinarum lucensium stirpe capitur a Berengario II. e custodia fugit. Otho Imperator in Italiam evocatur. Adeledem uxorem ducit. Hubertus Uuillam uxorem adulterii arguit. quae se coelesti prodigio purgat. Otho iterum in Italiam descendit. Antistitae D. Justinae regiam chlamydem concedit. item Lucensibus jus signandae pecuniae. Huberto patri Hugo succedit. Othone imperatore jacta etruscae libertatis semina. nova per eum nobilitatis ratio in Italiam inducta. Hugoni spectrum terribile objicitur. mores in melius mutat. moritur. ejus filia Uuilla ad Quiesam asceterium condit. plures reges principesque aut Lucenses, aut Lucensium affines. primum inter Lucenses Pisanosque bellum. Pisani in Sardiniam trajiciunt. Lucenses agrum eorum invadunt. Pisae a Musacto captae atque incensae. Bonifacius Tedaldi filius Etruriae regulus. Beatricem uxorem ducit. nuptias regia magnificentia celebrat. Conradum imperatorem, et Benedictum pontificem Lucae excipit. ejus burgundico bello gesta. Lucenses Pisanique iterum armati. Mathildis Lucae nascitur. Bonifacii magnificum donum. occiditur. ejus elogium. S. Davinus armenus Lucae moritur.

Continet Acta Annuum CCLXXVIII.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER SECUNDUS.

Regno Longobardorum sublato, non tam consequuta est libertatem Italia, quam mutavit servitutem: quippe Francis victoribus paruit, fuitque illi pro libertate, melioribus servire. Carolus antequam rediret in Galliam, italicas res ordinare aggressus, ita composuit, Apuliam et Brutios graecis imperatoribus remisit. Beneventum, Forojulium, Spoletumque longobardis regulis, ut ante, parere jussit, ea conditione, ut quae olim suis regibus, tributa ipsi penderent. tam clementer victoria usus, ut principatu beneventano Aragisum Desiderii generum auxerit. Insigni etiam liberalitate romanum pontificem prosequutus, magnam Italiae partem dominationi ejus subjecit; Deo in victoriae partem vocato: et ad gloriam suam non minus pertinere arbitratus, regna vincere quam donare. Sibi vero quodcumque longobardi reges in Liguria, Aemilia, Venetiis,

ac Etruria citeriore, alpibusque Cotiis tenuerant, italici regni nomine reservavit. ita ratus sibi posterisque victoriae fructum magis mansurum, si plures fruerentur: et regnum brevioribus finibus clausum, ut minus invidiosum; ita regi facilius. Sic constitutis rebus, Desiderio, omnique stirpe ejus secum abducta, in patrium regnum reversus est: nec multo post Pipinum filium in italici regni societatem assumpsit. In ea divisione Luca intra regnum Italiae mansit: quam tamen stipendiarii regum, minores reguli, comitum, marchionum, ducumque nominibus (ita sine ullo discrimine eos appellatos invenio) administravere. siquidem anno DCCLXXXII. qui fuit victoriae Longobardorum octavus, Pipini regni secundus, Allonem Lucae imperasse, in nostris monumentis reperio. qui annus lucensi populo Sancti Vultus adventu memorabilis fuit. Id sicuti ab eorum temporum proximis memoriae proditum est, ac publica praeterea tot saeculorum fama receptum, in hos annales referam. Christo per summum scelus in crucem acto, Nicodemus qui e Judaeorum proceribus viventem coluerat, regioque funere, sua manu refixum, sepulcro condiderat; gentem suam ut impiam aversatus, in suburbanum suum secessit. Sed cum assidue animo illius, dulcis ea simulque

tristissima species obversaretur, quam in calvariae monte conspexerat: parum visum est eo spectaculo mentem pascere, nisi etiam oculos satiaret. Itaque sive jam ante ejus artis peritus, sive rudi amor ingenium faciebat, excisam e Libano monte cedrum, invictam aetati materiam, coepit in Crucifixi simulacrum, humana specie majus aliquanto, formare. processerat pio artifici opus satis feliciter, jamque caeteris membris suus habitus, sua forma constabat: cum ad effingendum caput vultumque perventum est. hic Nicodemus multum haerere ac dubitare animo; ignarus qua ratione sacrum os, Dei hominisque lineis permixtum, sine veri injuria exprimeret. Et jam in desperationem artis venerat, victasque manus ab opere revocabat; cum in hoc aestu cogitationum illi somnus obrepsit, quo discusso, fama est, coelesti quadam arte caput reliquo corpori coaptatum reperisse. rei miraculo perculsus primum attonito similis haerere, deinde obortis lacrymis inter moerorem laetitiamque, ob magistri memoriam, non animum, non oculos a divino illo vultu avellere: mediusque inter amorem horroremque, nunc sacri oris majestatem, nunc benignitatem, sed oculorum praecipue vigorem admirari: gaudium, lacrymas, preces,

vota miscere. Solitudinem suam eo solatio Nicodemus beatam effecerat; cum tandem instare sibi fatum sentiens, sacrum pignus pio amicoque homini habendum transmisit: qui veritus Judaeorum ethnicorumque injurias, illud intra effossam sub terris specum abdidit: loco tum alio apparatu, tum facibus luminibusque ornato: paucis tantum magni secreti consciis, qui illi venerationem cultumque exhiberent. Eo loco arcanum ingens, septingentos circiter annos latuerat, cum divinae providentiae publico mortalium bono illud in lucem proferre visum. Florebat magna innocentiae fama in subalpinis antistes, cui Gualfrido nomen: qui religionis causa una cum Leboino, qui rem literis mandavit, in sacras Palaestinorum terras profectus; dum ibi agit, per quietem oraculum audire sibi visus est; quo sacram effigiem quaerere, inventamque in Italiam deferre jubebatur. exequitur coelestia jussa Gualfridus, sacroque thesauro potitur: sed transportandi illum in Italiam ratio destituebat. his curis anxius, cernit in portu Joppes stare navigium, nullo nautarum, nullo remigum ministerio, nullis armamentis instructum, sed vacuum et paratum occupantibus. movit ea species Gualfridi animum, coelestique consilio intellecto, in eam navim nocte

intempesta simulacrum imponit: Deum precatus, penes quem maris ac tempestatum imperium est, ut ingens depositum tueretur. his peractis, sponte in altum navis effertur, uno et navita et remige et vectore Deo: prono maris obsequio, ventisque ferentibus; tamquam onus suum intelligerent. brevique emenso Mediterranei spatio, quod Judaeae litora Etruriamque interjacet, ad Lunae portum (oppidum ea tempestate nobile, nunc ruinis monstratur) appulsa est. peregrinae navis adventu moti Lunenses, accurrunt ad litus, mirantur nudata remigibus transtra, vacuos foros: non sedentem in puppi nautam, non oppansa in antennis vela, sed solitudinem et silentium: faces tantum, et insuetum fulgorem inde emicantem. quare propius noscendae rei, exploratorias scaphas conscendunt, easque celeri remigio impactas in advenam navim agere incipiunt. Sed nova res, perculsos jam religione animos magis commovit. quippe ubi illa se peti sensit, tamquam vectoris sui conscia, furtumque metuens, in altum sese proripuit; ac insequentes in medio conatu elusit: iterum pone legendo litus, quoties illae, conversis proris, in portum se se reciperent. eo miraculo attoniti, civitatis suae pontificem adeunt, rem exponunt, consilium flagitant. Is

coeleste aliquid suspicatus, indicta supplicatione ad portum venit, ac singula ut narrata erant, praesens agnoscit.

Interea qui sacris Lucae praeerat, Joannes Theuperti lucensis filius, vir prisca sanctimonia, coelesti oraculo peregrinae navis adventum ad Lunensium portum didicerat, simulque thesaurum quem ferret Lucensibus destinari. itaque celebri pompa, magna populi multitudine comitante Lunam profectus, itineris causam incolas docet. se coelesti oraculo accitum, et quidquid navis illa apportaret, fato Lucensibus suis dari. secundum haec in extremas litoris oras progreditur. mirum dictu! Navis quae hactenus insequentes fugerat, sponte admoveri, seque ultro veluti dedere, ingenti omnium miraculo visa est. Joanne navim ingresso, ac paulo post divinum simulacrum afferente, magna religio omnium animis incussa: nec alia cernentium species, quasi Dei filium, eo vultu quo monstratur coelestibus; praesentem conspicerent. Sed cum omnes publice veneratione, tamen privatis studiis Lucenses gaudio, Lunenses invidia agebantur. Itaque non pauca concertatio exorta. dum nostri deberi sibi sacram effigiem contendunt; quod coelesti oraculo promissa, quod eorum manus sequuta, quod sponte ad

eos transisset: illi contra nituntur, suamque vindicant quod eorum litoribus appulisset, eorum portus intrasset. ea contentione animis utrinque accensis, periculum erat ne religio in furorem et arma transiret: dum alteri avehere, retinere alteri sacrum pignus certant. finiendo certamini nihil aptius visum, quam ut res sortis arbitrio permitteretur. nec difficilem esse rationem, si plaustro simulacrum imponeretur, bovesque indomiti rudesque operum illi adjungerentur: quamque viam illi sponte ac monstrante nullo, lunensem lucensemve inissent; eum populum victoria certaminis sequeretur. conditio utrinque accepta, magna animorum expectatione inter spem et metum: sed occulto Lucensium gaudio, qui Deum a se stare sciebant. Jam omnia praesto erant, cum juvenci non expectato admonentium imperio, sponte Lucam versus iter corripiunt. Tum vero ingens tumultus exortus est, mixtis gaudentium moerentiumque vocibus: Lunensesque coelesti consilio intellecto tandem cessere: dumque sacrum pignus exportaretur, usque ad agri fines, facibus odoribusque incensis prosequuti: bene Lucensibus apprecantes; irent victores, irent felices, irent coelo nimium dilecti, ac tam insigni thesauro fruerentur, domum rediere. Sed ne tristes

omnino discederent, urnam vitream divino cruore plenam donum tulere; quae una cum aliis, aut ipsius Christi, aut divae matris reliquiis, cavo simulacri lateri inclusa erat: quaeque apud Sergianam, Lunae ruinis, ut creditur, extructam urbem, ad hanc diem summa religione colitur.

Jam praemissi in urbem nuncii tantae rei famam vulgaverant: cum omnis aetas, omnis sexus obviam processere; moestis quos senectus aut morbus domi continuerat. Vias per quas transitura erat pompa, confluentium undique turba compleverat: dissonis vocibus, illum Deum, illum parentem servatoremque appellantium; precantiumque ut propitius ac volens lucensem urbem iniret. Hoc apparatu sacra effigies in urbem invecta est; nemine ambigente cum illa pacem, libertatem, salutem inferri: eamque fore verum ac fatalem lucensis urbis palladium; ac in basilica D. Frigdiani, quae tunc pontificum sedes erat, collocata. inde paulo post, seu sponte, sive sacerdotum ministerio, (utrumque enim traditur) in basilicam Martinianam translata, ubi summa religione hactenus colitur. ea fama per orbem terrarum vulgata, prodigiisque in dies aucta, certatim ex omnibus terris exterae nationes Lucam confluere, angustis rebus

suis opem implorare, dona conferre. quod pluribus saeculis continenti pietate servatum est: donec D. Virginis aede in Italiam transgressa, versis in illam populorum studiis, celebritas aliquanto minueretur. Sed nullae rerum aut temporum vices religionem Lucensium minuere potuerunt: quin plura quotidie ac magnifica, amoris cultusque argumenta circa sacram effigiem exhiberet: quorum maximum aetati nostrae videre contigit: cum non contenti hospitem, ac longo domicilio civem habere Dei filium; illum etiam solemni celebritate in regem, corona auro gemmisque gravi publice imposita, inauguravere: ex universa Italia ad eam pompam visendam populis confluentibus. nulli non obortis religionis sensu lacrymis, cum hinc Petrus Rota civitatis antistes, inde Fridericus Lucchesinius princeps decemvirorum, uterque honoris sui velatus insignibus regium decus sacro capiti aptarent: tota urbe interea, tum concentu aeris, tum bellicorum tormentorum fragore, aliisque laetitiae significationibus gestiente. Per eadem tempora corpus D. Reguli a Joanne pontifice in urbem translatum est: hunc in Africa una cum Cerbonio advectum, juxta Populoniam, antiquam Etruriae maritimae urbem, milites Totilae Gothorum regis interfecerant: de quo

illud admirandum memoriae proditum est; eum securi percussum, caput suum substulisse, ac barbaris percussoribus stupore defixis, ad duo stadia gestasse. tum demum, veluti de via fessum consedisse; donec a discipulis, coelesti oraculo admonitis, sepulcro honorifice conderetur. utrique eorum aedes a Lucensibus extructae: Regulo prope antiquam D. Martini aedem; quae deinde ab Alexandro II. in augustiorem formam redacta; ambitu suo eamdem D. Reguli aedem complexa est. mansit tamen cultus, sacello ad laevam principis arae in ejus honorem dicato, ubi sacra ejus ossa conderentur. quod deinde signis, ac marmoreo sepulcro egregii operis, Nucetorum familia, quae olim intercidit, magnifice ornavit: arte Matthaei Civitalis lucensis, quem superior aetas antiquis sculptoribus parem tulit. Cerbonio autem templum dicatum in monte, qui Lucam, Pisasque interjacet. Ejusdem Joannis opera, Roma Lucam asportata est nobilis illa Lucina, tot martyrum, interque eos clarissimi Sebastiani funeratrix, una cum Genesii reliquiis; qui Licinio imperante pro religione occubuerat. Demum tot Divorum in urbem nostram illator, coelo ipse receptus est: ejusque corpus in basilica D. Frigdiani conditum, coelitum honoribus colitur. Allo-

ni in principatu lucensi Wicheramus successit: quo principe romanum imperium in occidente Gothorum armis deletum, rursus effloruit. nam cum Leo III. pontifex maximus turbas a graecis imperatoribus de religione excitatas reputaret; simulque Carolo et Francis ob praeclara in romanos sacerdotes merita, insignem aliquam gratiam referre cuperet; nulla aptior visa, quam super regna et imperia a Deo optimo maximo pontifices accepere. Omen renascentis imperii, lectus est consecratus Christi natalibus dies anni DCCC. sive ut aliis placet DCCCI. quo ante sepulcrum principis apostolorum in Vaticano Carolus Leonis manu auream coronam, gemmis ac unionibus distinctam, et Augusti nomen accepit; pietate ac religione adeptus, quod alii saepe per ambitionem et caedes frustra tentaverant; mansitque in posteris decus, donec stirpe ejus excisa, per Gregorium V. ad Germanos transferretur; ut non jam familiae unius haereditas esset, sed electione et suffragiis ad optimum quemque perveniret. quae constituendorum caesarum forma adhuc in speciem manet: imperio jam dudum intra unam domum austriacam concluso. quod haud ab re fuerit memorasse; cum sub germanorum caesarum patrocinio, Lucenses ab iis usque ad haec tempora floreant,

vigeantque. Wicheramum Anno DCCCXIII. Bonifacius excepit: et sua, et Adalberti filii potentia celebris. Regnabat eo tempore in Italia cum Bernardo nepote Carolus, quem Pipino filio genitum, eo immatura morte erepto, imperii consortem assumpserat: brevi ipse quoque festinato funere filium sequutus. Princeps rerum gestarum gloria antiquis regibus et imperatoribus par, pietate, ac religione superaverat. Carolo patri Ludovicus cognomento Pius successit, italici regni consorte Bernardo fratris filio: quem conjurationis convictum, ac regno oculisque orbatum, in eam desperationem adegit ut mortem sibi consciceret. Ludovico regnante Sarraceni, qui sub regno ipsius Caroli ex Africa Hispaniaque in Sardiniam et Corsicam trajecerant, easque insulas vastaverant, cum iterum Corsicam invasissent, Italiaeque oras latrociniis infestarent; Caesar iis comprimendis Bonifacium Lucensium regulum illi insulae praefecit. Bonifacius cum Berethario fratre, quem alii Beraldum vocant, Corsicam transgressus, dilapsis ad ejus famam barbaris, cum late Tyrrheno mari circumvectus, nullum eorum navigium reperisset, ultro eis illaturus bellum in Africam trajecit; castrisque inter Uticam et Carthaginem positis, cum barbaros ad pugnam ex-

civisset, quinquies acie conflixit, magna eorum strage, paucis admodum suorum amissis; dum aut incauti victoria per agros palantur; aut se se temere periculis objiciunt. quare magno sui nominis terrore in iis regionibus relicto, cum exercitu victore Lucam rediit. oppido ante cum validis munitionibus extructo, in ea Corsicae parte, quae Sardiniam respicit, unde frequentes barbarorum excursus: quod famae cupidine ad posteros de suo nomine Bonifacium appellavit. Neque intra hos fines Bonifacii gloria stetit. nam cum Sarraceni in Etruriam transgressi maritimis urbibus Populonia direpta ac Centum Cellis excisis, magnum reliquis terrorem intulissent, Bonifacius solita felicitate usus, eos ex Italia ejecit. deinde Ludovico, impia filiorum conspiratione, ab imperii gubernaculis depulso, et in vincula conjecto, Juditham augustam in ea fortunarum ruina hospitio excepit, eamque mox marito in pristinam fortunam restituto, reddidit. quo munere laetus imperator, gnarusque nihil gratius magnis viris rependi posse, quam si promendae illorum virtuti locus detur, Bonifacium rebus componendis in Galliam Narbonensem destinavit: motus querelis nobilitatis ejus regionis, quam a stativis olim septimae legionis Septimaniam appel-

labant; adversus Bernardum illius regulum; quem superbe crudeliterque imperitasse criminabatur. Obierit ne in ea praefectura Bonifacius, an iterum pacatis rebus in Etruriam ad penates suos reversus sit, incertum. nec aliud quidquam de tanto principe pervenit ad posteros. filios habuit Richildam celebris virginum collegii, quem tunc D. Salvatoris, nunc Justinae appellant, virginem maximam; et Adalbertum, qui postea illi in lucensi principatu (non tamen continenter) successit. Nam an. DCCCXXXVIII. et XL. Aganum comitis titulo Lucae imperasse in vetustis tabulis reperio. Adalbertus circa annum DCCCXLVII. imperare coepit. etenim eo anno primum in antiquis tabulis, illius nomen occurrit. divitiis, et potentia regibus par, italicarum rerum iis temporibus arbiter, et magnum caesarum pontificumque momentum, quo inclinasset socius aut adversus. cujus viri gesta, quantum in ejus saeculi caligine videre licuit, in unum collecta, his annalibus inserere non ab re visum.

Ludovico, pio aeque ac infelici principi, Lotharius filius in imperio successit: vivo adhuc parente in Italia regni socium adscitus. hinc rerum humanarum taedio abdicata summa potestate, cum a consuetudine hominum semo-

tam inter monachos vitam agere instituisset, Ludovico, Carolo ac Lothario, quos ex Ermingarde susceperat, dominationem divisit. e quibus Ludovicus postea imperavit; Carolus brevi extinctus; Lotharius vero, qui regio nomine, ei Germaniae parti, quam Galliae finitimam, Austrasiam et Lotharingiam appellant, imperitabat, a patriis virtutibus degener improspera fama decessit. quippe Waldradae pellicio amore in abruptum tractus, seque ac suos magnis turbis involvit. tandemque, cum simulata in speciem religione, sacra mysteria Hadriani pontificis maximi manu suscepisset: Roma digressus Lucam se contulit, ibique morbo implicitus aliquandiu substitit. sed cum ex eo, ut sibi videbatur, recreatus motis castris Placentiam venisset, recrudescente vi morbi cum multis suorum, quos eadem religione obligaverat, manifesta laesi numinis ultione, miserabili exitu excessit. Post Lotharium igitur, ut supra memoravi, Ludovicus imperator consalutatus, loco patris regnavit: eoque sine liberis defuncto, imperium Carolo Calvo ipsius patruo delatum est. quo tempore Lambertus et Guido Spoletanorum reguli, qui regio Longobardorum sanguine genus ducebant, ea spe animos erexerant: si Joannes pontifex (octavus ordine is erat) eorum consiliis accessisset,

exclusis peregrinis, posse iterum regale nomen in Italiam, gentemque longobardicam inferri: adjunxerat se ambitiosis fratribus Adalbertus lucensis; tum quod Italiae honorificum rebatur, si a suis principibus regnaretur; tum quod se, iis opibus ea potentia subnixum, si qua se via inter turbatas res daret, facile regnum adepturum speraret, quod nunc aliis quaesitum iret. sed recens longobardicae servitutis memoria, francorumque regum in summum sacerdotium merita, pontificis animum a novarum rerum consiliis alienum reddebant. quem ubi obstinate recusantem Adalbertus Lambertusque vident, quod arte nequiverant, vi aggredi moliuntur. Itaque Formoso, qui portuense sacerdotium obtinebat; in sceleris conscientiam assumpto, impiam conjurationem in sacrosanctum pontificis caput constituunt. Sed ea patefacta conatus in irritum recidere: Formosusque sacerdotio spoliatus, et in custodiam traditus; reguli Lambertus et Adalbertus diris, ac devotionibus consecrati, sacrisque amoti. Verum Carolo, qui accitu Joannis ad ulciscendam injuriam adventabat, in transitu Alpium, ipsisque Italiae claustris, veneno, ut vulgo creditum, extincto; reguli eo metu liberi, cum jam impune sacrilegi esse possent, exuta summi sacerdotii reverentia,

in urbem romanam irrumpunt, nobilitatem seditiosis consiliis a pontifice divellunt, et in verba Carolomani, Ludovici Germanorum regis filii (id sceleri speciose obtendebatur) adigunt: pontificem in regia obsident, eumque ad famem pene ac deditionem compellunt. Sed is furtim eorum furori elapsus, maritimo itinere in Gallias, tunc summi pontificatus asylum, contendit. Sed Carolomanus, ut dixi, velando sceleri praetendebatur; cujus infamia penes illum, fructus penes auctores esset. quippe privata cuique illorum spes suberat: et alieni regni praetextu suum quaerebant. Neque his sacrilegiis modo, Adalbertus rem romanam turbavit: nam potentia ac divitiis tumens, fas jusque existimavit, profanum hominem se se religionibus immiscere: alios pontificum solio deturbare, alios per vim et malas artes statuere: homines vitiis inquinatos, et maximo illi secundum Deum fastigio, futuros dedecori. Nam ipso adnitente, Christophorus dejectus: meritus ille quidem, sed nulla excusatione, cum pejorem substitueret. Stephanus, Sergius, Joannes renunciati, non sacerdotum modo, sed etiam mortalium deterrimi. cum alter libidinibus foedus, et qui in ipso sacerdotio, Maroziam, nobile scortum justae uxoris loco haberet: alter iis moribus, ut antistitum judicio

bis a minoribus sacerdotiis excidisset: tertius Theodorae, quae Maroziae mater erat, amasius, supremamque sedem pessimis exemplis foedaturus. praeter quae, alia in illa romanae ecclesiae nocte ab Adalberto patrata, quibus famam suam non parum laesit. unde non abest ut credam, eum religione et conscientia praeteritorum, abolendae insuper infamiae, decimam vectigalium lucensis agri portionem basilicae martinianae attribuisse: novem sceleribus impenderat.

Sed, ut ad intermissum gestarum rerum ordinem redeam, Carolomano, quique cum eo regnavit Ludovico Balbo fratre, ac demum Carolo Crasso, qui tertius, e Ludovici Germaniae regis liberis Italiae imperavit, extincto, animi principum Italorum, cupidine antiqui decoris, et dominandi ambitione exarsere. Itaque nuncio de Crassi morte, veluti classico exciti, Berengarius Forojuliensium, et Guido Spoletanorum reguli, uterque Longobardorum sanguine, regium nomen et caetera ejus fortunae usurparunt. Guidoni velut propinquiori Adalbertus favebat: jam pridem antiquo studio illi fidus. Formosus etiam, qui tunc summum sacerdotium obtinebat, vetus Guidonis cliens in partes transivit: exceptumque Romae, caesarem insuper, et augustum consecravit.

unde illi atrox invidia, actis ejus post mortem rescissis, cadavere ludibriis vexato, et in Tiberim tracto. Grave inde bellum inter aemulos reges exarsit: ea fortunae varietate, ut Guido primum victor, Berengarium non in fugam modo, sed etiam in exilium verterit: postremo ipse ingenti clade fractus, fugitivum suum fugere sit coactus. Guidoni dum se colligit in apparatu novi belli, rejecto per os sanguine, extincto, Lambertus filius in ipso aetatis flore successit. Adalberto in ejus partes paulo post concedente, una cum Stephano VI. qui ejus ope romanum sacerdotium invaserat: cujus manu regni insignia, et augusti nomen Lambertus accepit. sed non diu Adalbertus in fide mansit, armis quoque in eum sumptis. specie quasi Berengarii partes adiuturus; re vera, ut duobus de regno certantibus tertius frueretur. miti alias ingenio et belli artium rudem, Berta uxor acribus stimulis urgebat; ut regibus potentia et opibus par, nomine etiam et fastigio aequaret. orta haec regio Francorum sanguine Lotharii regis filia, alteriusque Lotharii Austrasiae regis olim uxor, cui Hugonem et Bosonem pepererat: quorum prior postea in Italia regnavit. quare regis filia, regis uxor, minoris fastigii virum ut imparem spernebat. femina ingentis animi, et ad quidvis

audendum pro dominatione parata. cupidine regni et ambitione plus quam feminea: sapientia et vigore consilii supra viros. facundia illi prompta, faciles aditus, prompta liberalitas. eadem inquies, infida, procax; nulla pudoris ac pudicitiae reverentia; et famae, ubi regnandum foret, ac religionis incuriosa. ut tum viri, ita post generis incentrix; quorum utrumque magnis turbis implicuit: eo fructu, qualis malorum consiliorum plerumque esse solet: calamitate in praesens, ad posteros infamia. ea instigante, Adalbertus comparato exercitu, una cum Ildebrando comite, quem consilii socium adsciverat, arma in Lambertum movit. Sed cum in eo fortunam belli verti intelligeret, si Ticino regia urbe potiretur, in eam vires omnes convertit. et spes apparebat, posse eam non magno negocio occupari, quippe Lamberti absentia vacuam, si subito terrore perculsam premeret. Diversabatur eo tempore Lambertus apud Maricum, (oppidum non procul Derthone ad Tanarum fluvium) solutusque omni armorum metu, se se in venatione exercebat: cum repente trepidis nunciis, adventare Adalbertum, et Ildebrandum cum hostili manu cognoscit. sed afferebant una, turbam eam tumultuariam et inconditam, non servare ordines, non agmine incedere, non explo-

rare itinera : denique nihil disciplinae militaris artisque ostendere. Is, ut erat acri ingenio, et in arduis expediendis consilio promptus; ne si majores copiae accirentur famam periculi augeret, simulque terendo tempus, spatium hostibus daret, centum ex promptissimis secum assumptis, raptim Placentiam contendit. illi superato monte (Burdonem incolae appellant) in campis circa Juliam Fidentiam, incompositi, et ut quisque locum occupaverat, tendebant; nulla castrorum specie: et supervenientibus tenebris non aggere, non fossa tuti, veluti in pacata regione, somno se tradiderant. nullis vigiliis, nulla statione, cibo etiam et vino largiore onerati, stratisque passim corporibus. quod ubi Lamberto nunciatum est, nocte intempesta, Placentia silenter cum expedita manu egressus, non sentientes ex improviso adoritur. Illi clamore et tumultu caedentium aegre excitati, simul pavore, ut in tenebris, attoniti; simul somno et crapula graves, cum nec arma sustinere possent, nec ubi terrarum essent satis scirent, pecorum more inertes et trepidi trucidantur: plerique capiuntur. Ildebrandus ad primum tumultum arrepta fuga, periculo exemptus est. Adalbertus subita trepidatione inops consilii, quod tutissimum e praesentibus visum, in sta-

bulo inter jumenta se se occultavit. verum sedulitate inquirentium detectus, ac turpi latebra extractus, ad Lambertum deductus est. qui eo viso renidens: „ Nimirum, inquit, Bertam „ tuam divino spiritu futura praedicere, in- „ telligo. nam cum te aut regem, aut asinum „ facturam, praedicare solitam vulgo ferant; „ cum regem nequiverit, asinum fecit, te in „ praesepium compellendo „, nec alio verbo illum alloquutus, cum caeteris captivis Ticinum in custodiam misit: solutusque ea cura ad intermissam venationem rediit. in qua dum quadam die labore fessus, aliis, ut inter venandum fit, alio dilapsis, quieti se dedisset; ab Hugone, qui solus cum eo remanserat, in ultionem Mangifredi fratris ab eo interfecti, adacto cervicibus fuste, ut effuso in cursum equo excussum, cervices fregisse videri posset, occisus est. Aemulo sublato, Berengarius magnis itineribus Ticinum contendit : potitusque regia, Adalbertum e custodia emissum abire liberum jussit. Sed fortuna non diu mansit, fallaci illo infidoque saeculo; in quo dominandi libido, nihil inviolati, nihil sancti patiebatur. nam Adalbertus Eporediae regulus, (alter is a lucensi) qui a Desiderio Longobardorum olim rege ortum ducebat, ejusdem Berengarii uxore Gisla gener, soceri potentiam

aegre aspiciens, Ludovicum Galliae Provinciae regem, Ludovici qui proxime in Italia regnaverat nepotem, per legatos sollicitavit: ut avitum ac haereditarium Francis Italiae regnum capesseret. Berengarius, quamvis omnia occulte, et magna dissimulatione agerentur, ut callida et suspiciosa sunt regum ingenia, generi consilia, et Ludovici apparatus sensit, quare ut se contra alterius perfidiam, alterius arma muniret, Lucam ad amicum Adalbertum, et recenti beneficio obnoxium advolavit: intelligens momentum victoriae in eam partem fore, in quam Adalbertus inclinasset. benigne ac magnifice exceptus „ docet quo in statu res et „ fortunae suae jaceant; ostenditque in ejus „ manu situm, ut Italia decus regni ac splen- „ dorem retineat. generum suum eo amentiae „ progressum, ut exterorum jugum ei provin- „ ciae imponere iterum agitet. notam esse Fran- „ corum superbiam, notam cupiditatem. nul- „ lius magis interesse, ne ad peregrinos ho- „ mines iterum Italia perveniat: eum pulcher- „ rimi imperii dominum, italorum principum „ opulentissimum, et nomine ipso divitis in- „ vidiosum; avaritiae irritamenta, et paratam „ victori praedam. Guidonem et Lambertum „ tolerabiles fuisse, italos homines, eodem coe- „ lo, iisdem moribus educatos. Ludovicum ex-

„ ternum, atque externo patre genitum, eo-
„ que subjectis per superbiam inviso. Francos
„ etiam nulla injuria violatos, Italiae semper
„ graves fuisse. quid nunc futuros, ob itali-
„ ci regni dominationem ereptam, jam pri-
„ dem iratos; ne quicquam nisi ultionem et
„ caedem meditantes? si rerum iterum potian-
„ tur, nulli magis timendum, quam cujus ope
„ dejecti sint. proinde consilia secum et ar-
„ ma jungeret: communem reipublicae cau-
„ sam communibus viribus tueretur. non ali-
„ ter Italiam liberam, fortunam ipsius salvam
„ esse posse. „ His adhortationibus amplissi-
ma munera adjungit, quorum apud cupidos
homines potentior facundia est. quare Adal-
bertus inito foedere, se cum illo futurum re-
spondet. Ludovicus superatis alpibus, magnis
copiis, majori fama Italiam ingressus, occur-
su Berengarii Adalbertique exercitus, itine-
ribus occupatis ita septus est, ut evadendi
desperatione nuncios ad Berengarium miserit,
qui sacramento fidem obstringerent, si salvus
in patriam reditus permitteretur, eum non am-
plius in Italiam descensurum. Berengarius, ut
erat simplici ingenio et antiquis moribus, Lu-
dovico non ex iniquitate temporum, sed ex
fide aestimato, conditionem accepit, liberum-
que in Galliam redire permisit. Sed exercitu

trans alpes abeunte, animus principum italorum in Berengarium hostilis mansit. qui illo semel laeso, nunquam se tutos credebant, donec regno potiretur. omnibus versatis nihil aptius evertendo homini visum, quam si Adalbertum ab ejus societate divellerent. itaque eum aggressi, impotentem ac superbum Berengarii dominatum, agrestes hominis mores, asperum ingenium: contra Ludovici mansuetudinem, placidas artes, omnia in majus extollunt. nec multa vi animum illum, regum desultorem ad Ludovicum transferunt: eumdem postea pari levitate deserturum. aderat principum precibus Berta, privatis odiis Berengario infensa: quae tunc, aliorum conjunctione acrius intendebat. Itaque Adalbertus, et eorum consiliis, et uxoris instinctu, legatos ad Ludovicum mittit, qui ipsius studia, paratos principum animos, expectanctem Italiam ostentarent. Ludovicus Adalberti legatione audita, mirifice animum erexit, ac spem certam potiundae Italiae concepit. nunc tandem Italos serio secum agere; nec ut ante dubios eventus, et spes inanes venditare. quare spreta sacramenti religione, quando plus perjuria promittebant, majore quam antea belli mole in Italiam descendit. lustratisque in itinere Galliae Cisalpinae urbibus, Lucam ad Adalbertum

se contulit. Regali apparatu exceptus, militiae florem, magnificentiam, quantam vix imperatoris aula caperet, in unius principis domo, immensam pecuniarum vim in quotidianos sumptus, ac caetera ad fastum potentiae plusquam regiae admiratus, famam haud illi mentiri affirmavit, cum divitem praedicaret. ferturque cuidam suorum insusurrasse: Adalbertum, non se regem esse: nec ei quicquam ad eam fortunam, nisi nomen obstare. quae incauti principis vox excepta, exitio illi fuit. Nam cum Berta, quae proxime stabat, illam audisset: ut erat callida ac solertis ingenii, rata non diu mansuram eam potentiam, quae regi invidiam movisset, iisdem artibus, quibus maritum in Ludovici studia pertraxerat, ab eodem alienavit, cum caeteris Italiae principibus. Tantum in una femina momentum iis temporibus erat; ut, dandi adimendique regna penes illam arbitrium esset. quare Adalbertus iterum in Berengarium versus, ita res composuit, ut Ludovicus e Tuscia digressus, Veronae per insidias a Berengario caperetur, a quo regno et oculis privatus est. animum ambitio ante excecaverat. Berengarius competitore dejecto, altius regno fastigium meditans, Romam pergere statuit, ut a pontifice maximo, augusti nomine, ejusque fortunae

insignibus ornaretur. In eo itinere Lucam ad Adalbertum divertit, ut eo adjutore apud pontificem uteretur. quippe Joannes X. qui tunc romano sacerdotio potiebatur, in eam amplitudinem Adalberti potentia venerat: proinde ab obnoxio, facile omnia impetrari posse. Florebat tunc Romae Theodora, loco nobili nata, eximia forma, nec minore impudicitia. duae illi, maternis moribus filiae haud absimiles, Theodora et Maria, quam Maroziam appellabant. illas seque romanis italisque principibus vulgando, eo potentiae venerat, ut omnia Romae trium meretricularum arbitrio agerentur: ipsae pontifices facerent, ipsae infectos redderent: illae reges, illae caesares essent. tamquam sancta illa, quae mundum temperat providentia, oculos a rerum humanarum gubernaculis avertisset. Maroziae stupro illigatus Adalbertus tenebatur: cujus instinctu, Joannem Ravennatum antistitem, quem Theodora deperibat, in summi sacerdotii fastigium extulerat. hinc Berengario spes, posse Adalberti ope caesarem, et augustum fieri. nec eum opinio fefellit: quippe a Joanne inauguratus, ex rege imperator evasit. quod contigisse anno DCCCCXV. veteres annales tradunt. Biennio post Adalbertus, usque ad extremam senectutem vitae cursu perducto, Lucae diem ultimum clausit: tranquilla

morte defunctus, et post tot scelera felix. reliquit ex Berta Guidonem, Lambertum, et Ermingardim: et Albericum, quem ex Marozia furto substulerat. qui deinde Romanorum consul effectus, magnas turbas pontificibus, patris exemplo concivit. Fuit Adalbertus regulorum Italiae aetate sua princeps: regum pontificumque ambitu clarus. regia in familia nobilitas, pares opes; unde invidiosum illi divitis nomen; quod corruptis moribus aeque ac boni aestimatur. ingenium mite illi et secors, et cui fuerit pro magnis virtutibus magna fortuna. ambitio ac regnandi cupido immodica: ob eamque nihil illi inviolati, nihil sancti. plurium regum amicus, nec minus multorum desertor: cui, rara felicitate, etiam cum omnes falleret, omnes credebant: malos pontifices in ordinem coegit, pejores substituit: etiam in iis, quae pie faceret, sceleratus. multa ipse atrocia sponte, plura conjugis impulsu suscepit. omnia regni cupiditate ausus, sine regno fuit: promptiusque habuit, tradere aliis imperium quam accipere. tot maculis obtentui fortunae splendor, qua magnos reges aequavit: domus regio luxu, munerum largitio, magni sumptus: simillima virtutibus vitia. Fortunae cursus illi felix; aliquot tamen ictus vulneribus, clade apud Fidentiam, inhonesta

captivitate ; et quod acerbius est, hostis ludibrio. optimis profecto principum adnumerandus, si quot sepulcralis ejus lapis, tot ille virtutes habuisset. elatus est regio funere, conditusque in basilica martiniana; ambitioso titulo, qui adhuc legitur. Adalberto Etruriae imperante, anno DCCCXCVI. Sigifredus, gente aliis Malespina, aliis Estensi (utraque nobilissima, et virorum principum seminario) Luca in Galliam Cisalpinam migravit cum liberis Sigifredo, Attone, ac Gerardo: sive ob potentiam Adalberto suspectus; sive privatae fortunae impatiens, et imperii cupidus. nam ibi, magnis quibus abundabat opibus, plures civitates ac oppida suae ditionis fecit; interque eas, Parmam metu Saracenorum perculsam: cum italis regibus non satis virium esset, ad eam tuendam, pellendosque barbaros, in deditionem accepit. Hunc Sigifredum sanguine Adalberto conjunctum, quidam nostrorum existimant: ea conjectura quod Adalberti prole extincta, non multo post in ejus nepotem Tedaldum Attone genitum lucensis principatus reciderit: atque inde in Bonifacium Tedaldi filium, ejusque prolem Mathildim, fama celebrem: quae annalibus nostris uberem materiam datura est.

Post Adalbertum, Guido ejus filius natu maximus, a Berengario imperatore lucensis regulus constitutus est: potentia et malis artibus patri non absimilis. At non cum viro cupido regni in Berta extincta est. nam impotens animi femina, et minoris fortunae impatiens, filio imperante assequuturam sperans, quod marito vivente nequiverat, formae fidens, et quibus pollebat blanditiis, Italiae principes contra Berengarium sollicitare, ac res novas moliri coepit. quibus ille compertis, exercitu in Etruriam immisso, una cum filio captam, ac Mantuam perductam in custodia habuit. Sed ea fuit in tantae fortunae inclinatione, subjectorum erga suos principes fides; ut Berengarii duces, nullam civitatum, ac ne oppidorum quidem, ex iis, quae captivis regulis parebant, aut expugnare vi, aut ad deditionem pertrahere potuerint. quare Berengarius, ne se novis difficultatibus implicaret, si in ultionem suorum principum Etruria ad arma concurreret, impune abire liberos jussit: ut beneficio saltem vinceret, quos vi et armis nequisset. Sed ferox animi femina, ultra insitam dominandi cupidinem, et veteres in Berengarium iras; insuper recentis injuriae dolore accensa, omnes se in partes versare coepit, ut illum ab Italiae cervicibus depelleret. nec instrumenta quaerenti defuere.

Nupta erat Adalberto Eporediae regulo, cujus, post Tusciae principes, primae in Italia opes erant, Ermingardis Bertae ex Adalberto filia, quae maternis artibus potens egregia forma, pari impudicitia, audax, dolisque nectendis artifex; alios donis, alios precibus, multos spe allicere assueta; non viri tantum, sed omnium Italiae principum animis imperabat. igitur mollem Adalberti animum, cum una nimium momentum foret, uxor socrusque uno impetu aggressae eo impulere, ut arma in Berengarium caperet: duobus praeterea regiae aulae proceribus Olderico et Gileberto, aliisque Italiae regulis in eum concitatis. Sed cum primi conatus improspero exitu fuissent, Adalbertus majoribus auspiciis rem aggrediendam ratus, Rodulphum Eduorum, quos Burgundos appellant, regem excivit, quem Berengario opponeret. Sed Berengarius Hunnorum ope victor, Olderico in acie interfecto, Adalbertum et Gilebertum in potestatem redegit. verum prior vulgari habitu gregarium militem ementitus, parvo redemptus: alter agnitus virgisque caesus, ab eaque castigatione, insigni socordia dimissus. nec diu Berengarius vecordiae bonitatisque suae distulit poenas. Nam Adalberti Gilibertique ope intra trigesimum diem, Rodulpho in Italiam adducto, ipse paulo post

Flamberti manu, per insidias occisus est; princeps clementia et justitia, nec minus perfidia et odio populorum memorabilis. ejus mortem tam manifesto prodigio superos aversatos constat, ut lapis sanguine morientis pollutus, nulla arte elui potuerit. cadaver in porticu basilicae veronensis conditum tumulo, qui ad hanc aetatem manet. Berengarium sequutus est Adalbertus, turbarum in illum auctor, qui proximo anno mortem occubuit. continuato Bertae funere, quae VIII. Idus Martii anni DCCCCXXV. Lucae vitae et cupiditati finem imposuit. brevi semper scelerum fructu. condita est juxta mariti tumulum in basilica martiniana, non minus ambitioso titulo, et pro illiteratae aetatis ratione, satis eleganti, qui adhuc legitur. pari mariti, et conjugis fato, ut plus defuncti laudarentur. ad ejus sepulcrum sacro funebri, facibus et lugubri cantu, ad haec usque tempora a sacerdotibus ejus basilicae parentatur. qui ejus virique opibus aucti, inque eorum gratiam ab Hugone Bertae filio, qui post in Italia regnavit, dominatione pagi, cui Massagrogia nomen, juxta Tyrrhenum mare donati, piam beneficii memoriam eo cultu testantur. unde subit mirari qua ratione illius cadaver in ambrosiana basilica conditum, antiquitatum ejus templi scri-

ptor memoriae prodiderit (1) quemadmodum etiam opinio illorum evincitur, qui errore nominis eam Arnulpho imperatore genitam affirmant: cum disertis verbis, sepulcralis inscriptio, regio Francorum sanguine genus duxisse; Lotharii filiam, Caroli regis neptem asserat. licet eorum temporum actis negligentius perscriptis, non ita promptum sit expedire, cui nam Lothario tribuenda sit. nisi forte Lothario Caroli Calvi filio genita est; patris avique nomine congruente. Sed in re incerta ac vetustate obliterata, conjecturam meam interponere non ausim. Bertae sororem non levi auctoritate motus (2) Ermingardim illam crediderim, quae divino cultui in collegio sacrarum virginum ad D. Salvatoris Justinaeque aedem dicata, ibidem jacet. Nam et regio Francorum sanguine, et Lotharii filia, inscriptione sepulcri asseritur: stylusque carminum, et literarum ductus, iis qui in Bertae sepulcro leguntur simillimi, ejusdem artificis manum, vatisque ingenium indicant. Defuncta Berta, Guido post mantuanum carcerem Lucam reversus, cuncta principis agebat. potentiaeque per quascumque artes augendae cupidus, Maroziam olim patris

(1) Puricellus Ann. 942. N. 166.

(2) Florentin. l. 3. vitae Mathildis.

amicam, incestis nuptiis in matrimonium accepit. Eo connubio Guido ita crevit, ut patris potentiam aequaret, scelera etiam vinceret. praeter paternum avitumque principatum, uxorisque affinitates et clientelas, cum ea romanos proceres stupro, tamquam sacramento devinctos teneret, validum etiam locus reddebat. quippe Hadriani sepulcro ad Tiberim occupato, quae nunc pontificum arx est, eo munimento tutus, Romam veluti fraeno ad voluntatem circumagebat. Intercedebant illi simultates cum Petro Joannis X. fratre germano: eoque odia processere, ut Guido collecta manu illum adortus, insigni audacia in oculis pontificis trucidaverit. nec ea caede contentus; quippe semper timendum sibi ratus, donec ultor existeret; crimen crimini innectens, Lateranum advolat; palatioque vi capto, Joannem in custodiam tradit; quem etiam injecto ad os pulvino, intercluso spiritu exanimasse, fama vulgavit. divinae ultionis ita disponente consilio, ut quem pater per nefas extulerat, filius majori scelere everteret. neque hic sceleribus modus factus. nam in impii Joannis locum, nequiorem alterum suffecit; privignum videlicet, immatura aetate adolescentem, quem Marozia nefario concubitu ex Sergio pontifice sustulerat. Quare horum malorum artifex Ma-

rozia convincitur: quae ut Adalbertum Berta, ita haec Guidonem, veluti fax ad omne scelus incendebat, quae dum, tot jam saeculorum spatio emenso, animo, ac stylo subijcio, frigida ac emortua, luctu quodam ab ea cogitatione mens et calamus refugit: ex quo licet aestimare, qui bonis fuerit animorum habitus, cum haurirent oculis recentia et flagrantia. sed non diu facinoris sui fructum Guido cepit. Nam paulo post rebus humanis exemptus, vivendi ac peccandi finem fecit. incertum an uxoris fraude, jam amplioris fortunae fastigium, et regias nuptias meditantis. properatae certe cum Hugone rege nuptiae, suspicioni locum fecere. Guidoni Lambertus frater in Etruriae principatu successit. Princeps bellicosus, et qui pares fortunae ac nobilitatis spiritus gereret: sed aeque infelix Hugonis regis ac fratris invidiâ. Natus erat Hugo ex Berta, ut supra dictum est, et priore illius conjuge Lothario. Illum principes itali, et praecipue Guido Tusciae, et Ermingardis illius soror, quae defuncto jam Adalberto Eporediae regulo, virili animo principatum administrabat, in Italiam paulo ante exciverant: pulchrum sibi rati eadem matre genitum Italiae regnare. eorum favore, nec non Lamberti Mediolanensium, ac Joannis X. Romanorum antistitis, Hu-

go adversus Rodulphum, cui Ermingardis antea studuerat, régium titulum obtinebat. magno fortunae lusu, iis, si quando alias, temporibus, reges et facere et destruere gaudentis. Novus rex, confirmandae potentiae incestis Maroziae nuptiis se se maculaverat: procaci femina duabus acerrimis facibus ambitione ac libidine stimulata, illum ultro ad connubium invitante, in suum illud Hadriani sepulcrum, ne quis funestum dubitaret. non injuria Herodias eorum temporum dicta, quae duobus fratribus denupsisset. Rex huic flagitio velando; sive Lamberti potentiam metuens, quem et sua virtus, et Italorum favor ad regnum vocabat, Bosonis fratris instinctu, qui Tusciae principatum sibi concupierat, coepit sinistros rumores in vulgus spargere; jactans Lambertum falso praedicare se ex Berta conceptum, cum Adalbertus natu jam grandis effoeto corpore gignendis liberis impar esset. Sed eum simul cum Guidone, et Ermingardi, a Berta retinendae potentiae cupida suppositos, et pro suis educatos. edixitque ne in posterum Lambertus, regis fratrem se, ut honoris causa facere consueverat, appellaret: eodem tempore in fratres matremque impius, quam maxime eo crimine dehonestabat. Acer ex tanta injuria Lamberti animum stimulabat dolor: qua-

re, ut erat ingenio ferox, et contumeliae impatiens, regem ut quam verbis ambiguam faceret, rem secum ferro decerneret, provocavit. barbarico more per Longobardos in Italiam invecto. quem nec principes metu, nec pontifices religione, hactenus excindere valuerunt: quique adversus divinas leges humanasque contumax et vetabitur semper, et retinebitur. se vero eam conditionem accipere Hugo respondit. ratus eam honestam perdendi Lamberti occasionem, quam ipse tulisset. verum ne se in discrimen daret, vitato certamine, Teduinum quemdam armorum scientia, et robore corporis validum illi opposuit, qui regio nomine pugnam iniret. Sed Lambertus, ut causa, ita etiam fortuna melior, Teduinum succumbere, seque victum fateri coegit. Hugo super invidiam, pudore etiam et ira stimulatus, quasi infelici pugnae exitu tum primum mendax esse coepisset, nunquam sibi fore placatum sperans, quem tam insigni injuria violasset, fraude, ac vi captum, ac saevo illorum temporum exemplo, paulo post effossis oculis, perpetuis tenebris damnavit. in qua calamitate infelix princeps fortunae atque adeo vitae superstes usque Othonis magni aetatem egit. Hunc exitum habuit Adalberti domus, quae tanta potentia gloriaque, tamque ampla

dominatione tot annis floruerat. huc tot calliditates artesque, huc vis et arma reciderunt, quibus tot reges, tot sacerdotes impositi, ac dejecti; Italia omnis tumultu vexata, ut ejus posteritas tam miserabili fine, carcere ac tenebris clausa a stirpe interiret:, insigni documento, potentiam, cui virtus ac religio non subest, raro esse mansuram. Post Lambertum Bosoni fratri, Berta ac Lothario genito, Tusciae imperium Hugo detulit: quem tradito regulorum ejus provinciae more, Lucae habitasse ex illius actis constat. novi principatus initia circa annum DCCCCXXXII. contigere: unde colligitur, miserum Lambertum, paulo amplius anno Etruriae dominationem tenuisse. potitus imperio Boso, ut proditionem specioso aliquo facto velaret, regem admonuit, ut martinianae basilicae pagum Massagrogiam ad Tyrrhenum mare in agro lucensi, adjectis aliis late fundis dono daret. Ratus ita circumventi fratris infamiam aboleri posse. causa obtendebatur Berta communis parens, et Adalbertus vitricus in ea basilica sepulti: tamquam illorum manes eo piaculo solverentur, si quis suo scelere aliena expiaret. Tamen utcumque D. Martino cui offerebatur, grata ea liberalitas fuit, adhuc manet: majorumque sacerdotum ejus basilicae collegium jam ultra septin-

gentos annos fructum illius capit. Nec Bosoni parta scelere dominatio diu mansit. quippe, cum paulo post Vuillae conjugis instinctu, rerum novarum consilia in regem fratrem inisset, Tusciae principatu excidit. Post Bosonem Ubertus Lucensium dominatu potitus, quem Ugo ex Vuandelmunda nobili femina, regio more sustulerat. extant in vetustis urbis tabulariis monumenta, quibus constat, Ubertum lucensem regulum fuisse, Lucaeque tuscorum regulorum more jus dixisse. inter quae illud memoria posteritatis dignum, quo traditur, Ubertum anno DCCCCXLI. Hugone ac Lothario regibus, altero parente, altero fratre, Lucae in vetere Longobardorum regia degentibus; coram eis Adelardoque volaterrano, et Adalberto lucensi sacerdotibus, secundum Conradum lucensem antistitem, in quadam controversia sententiam tulisse. Hic est Conradus, qui romano concilio adversus Joannem XII. ab Othone coacto interfuit, ejusque actis subscripsit: quem ob virtutum merita divorum titulo ac honoribus posteritas consecravit.

Etruriae rebus ita compositis, ac praeterea Berengario Adalberti eporediensis, ex Gisla filio, tradita in matrimonium Vuilla, Bosone genita, Berengariique fratre, Anscario, quem Ermingardis Hugonis soror Adalberto pepere-

rat; Spoletanis praefecto, videbatur sibi Hugo stabilem fortunae suae sedem in Italia paravisse, quam deinde Lothario filio, in regni consortem paulo ante adscito, fruendam relinqueret. Sed ea opinio longe illum fefellit. nam neque sanguinis, neque beneficiorum vinculum, satis valide eos principes in obsequio continuit, quin regni cupidine res novas molirentur. verum Anscario in ipsis conatibus oppresso, Berengarius fuga in Germaniam arrepta, praesenti exitio subtractus est. Inde principum italorum, quos Hugonis superbiae pertaesum erat, studiis revocatus; ita rerum potitus est, ut tamen regiae fortunae insignia nomenque, penes Hugonem ac Lotharium essent. Hugo vero ludibrii ultra non patiens, quo alio regnante ipse rex diceretur, cum brevi in paternum regnum concessisset, regia gaza secum asportata: Lotharius a patre desertus, ac rerum omnium inops, per aegritudinem animi emota mente, fato defunctus est: Adelaide conjuge relicta, Rodulphi Burgundiae regis filia, ex Berta Malespina lucensi, eo Sigifredo genita, quem Adalberto Etruriae imperante, Luca in Galliam cisalpinam cum tota domo migrasse, ante memoravi. Lothario mortuo Berengarius cujus antea vim occupaverat, regium nomen invasit. Sed fortunam suam in lubrico reputa-

bat, donec Ticino, vetere Italiae regia, potiretur; quam urbem Adelais dotali nomine obtinebat. Omnia versanti, illud aptissimum visum, si ratio iniretur, qua et ipse voti compos fieret, et reginae pristinae fortunae decus maneret. quare Adelaidem sollicitare coepit, oblatis filii Adalberti nuptiis, ita utriusque rationibus consuli. nam et ipsi honorificum, et majoris compendii, si amore potius, quam vi et armis regiam obtineret: et reginae utile, manente veteris fortunae cultu, sponte tradere, quod tandem per bellum amissura esset. Sed castus et sanctus reginae animus, ab eo matrimonio abhorrebat; inviso jam pridem Berengario ob perfidiam in socerum ac maritum: seque pollui existimabat, si infectam proditione carissimorum dextram amplecteretur. sive etiam ambitio muliebris, et spes honestiorum nuptiarum suberat; quod ex eventu postea creditum. Berengarius repulsae dolore furens, raptim cum exercitu Ticinum contendit: potitusque per vim urbe, ac regina capta, eam intra munitissimam aciem ad Benacum, arcta custodia sepsit. tum blanditiis precibusque, et quae alia femineis animis deliniendis adhiberi solent, fatigare coepit, ut fortunae cederet, malletque se reginam et dominam, quam captivam et famulam dici. Sed

mulier adversus fortunam contumax, non precibus, nec postremo minis ac terroribus vinci potuit: sed auro custodes aggressa, una ancillarum maxime fida, ac sacerdote, quo in re divina facienda utebatur ejus consilii consciis; nocte intempesta clam scaphae imposita fugam arripuit: per diem silvarum latebris occulta, noctuque iter faciens, ut insequentes falleret. His comitibus Regium Lepidi profecta, apud Attonem avunculum se recepit. Is, mortuo ante aliquot annos Sigifredo, paternum imperium regebat; utque hostium ac popularium insidias caveret, Canusii arcem in praerupto ac edito regiensis agri monte construxerat. Atto et forma et sexu, sed magis conjunctione sanguinis motus, reginam intra arcem excepit; et ad pristinae fortunae splendorem; regio cultu habuit: data fide omnia se facturum, ne in hostium potestatem veniret. Berengarius, Adelaidis fuga cognita, furore ardens, cum ad eam reposcendam nuncios misisset, ea spe dejectus (negante Attone affinem et hospitem prodere) magna vi Canusium obsidere statuit. Sed cum Atto licet ea munitione ad excipiendos primos belli impetus valida, ita si longa obsidione premeretur, desperaret posse se suis viribus regiorum armorum molem sustinere; missis occulte ad Othonem Germaniae regem nunciis,

ostentatis reginae nuptiis, sollicitavit ut per eam occasionem, Italiae regnum occuparet. Rex cupidine novi imperii, et Adelaidis amore incensus, quam et egregia forma, et pudicitia par commendabat, sponte occurrentem fortunam, quam alii frustra insequerentur, excepit. praesertim cum et ab aliis Italiae principibus, quibus jam Berengarii opes graves erant, in eam spem vocaretur. Agebat primus in hac causa Ubertus Lucensium regulus, qui Berengarium patris fratrisque spoliatorem, honore depellere pietatem interpretabatur. Quare et privatis offensionibus, quas tunc affinis reginae casus incendebat, et Agapiti pontificis maximi auctoritate, in Germaniam ad regis animum in eam expeditionem impellendum, profectus erat. Itaque Otho comparatis, quam maximas potuit, ex universa Germania copiis; simulata religione, tamquam in Urbem votis solvendis adventaret, Uberto duce in Italiam transgressus, Canusium accessit, Berengario ad famam illius adventus, ad caetera imperii sui tuenda loca profecto: unde paulo post Ticinum se conferens, nuptias cum Adelaide in vetere Longobardorum regia, magno apparatu celebravit. receptisque in fidem Berengario atque Adalberto, certis conditionibus deinceps regnare permisit. ac demum rebus in Italia com-

positis in Germaniam reversus est; Uberto Lucensium principe eum prosequente, quem ad novum regnum capessendum, hortatorem habuerat. Sed non diu apud regem Ubertus gratia floruit. sive aemulorum calumnia, sive pronus in eum Italorum favor suspicionem movebat. fluxa in regum animis meritorum memoria; et lubrico semper aulicorum statu, subruente invidia. quare regis irae se se subducens, in Pannoniam profugit, donec is turbo innocentiae splendore discuteretur. qua demum cognita, Ubertus iterum Othoni carus in primis fuit. Verum sapienti consilio, fortunam cujus paulo ante fidem expertus erat, deserendam ratus, ne rursus regem satietas caperet, missione impetrata, Lucam ad conjugem ac penates rediit. Sed hic nova res, illius animum ingenti cura turbavit. Nam cum Vuillam uxorem, Bonifacii Spoletanorum reguli filiam, quam ipse discedens ignarus gravidam reliquerat, virili stirpe auctam reperisset; occurrentem, admoventemque sibi parvum puerum, a complexu repulit (1): infantemque tamquam non ex se conceptum aversatus, abire e conspetu jussit: simul edicens, pararet se ad ea experimenta, quibus per illa tempora, dubia

(1) Petrus Damian. L. 7. epist. 12.

pudicitiae fama explorari, consuetum potius quam fas erat, Deo innocentiae vindice barbarum morem, veluti approbante: quem deinde tamquam temerarium, ac divinae majestati tentamento injuriosum, aboleri placuit. Vuilla conscientiae fiducia, et infamis calumniae impatiens, se vero nullum probandae pudicitiae, quamvis atrox experimentum refugere affirmat: Deumque conjugalis fidei ultorem, in caput suum obtestatur, si alterius viri vestigiis mariti lectum foedasset. pluribus utrinque conditionibus agitatis, in id tandem consilium consensu discessum; ut principum sacerdotumque conventu indicto, infans non nutrice, non custode apposito, qui simplicem animum admonendo corrumperet, in medio statueretur: ad quem ille sponte accurrisset, patremque puerili simplicitate adblandiens appellasset, is pro patre haberetur. Erat, ut in regia domo, ampla quaedam sub divo area: haec tanto spectaculo sedes lecta; adfuere evocati e vicinis urbibus pontifices, paresque pene ipsis appellatione patrum antistites, una cum minorum sacerdotum ac procerum multitudine; quos vel reguli invitantis nuncii, vel fama tantae rei exciverat. aderat praeterea vulgus innumerum, quod ad spectaculi novitatem in regiam confluxerat: cui Ubertus immixtus, non sede,

non vestitu cultuque, aut alia re notabilis consedit. Silentio ab omnibus facto, puer (Hugoni, ab avi regis appellatione, infanti nomen erat) in medio solus statuitur. Tum vero ingens cura omnibus injecta; erepti suspensique animi neutro inclinata spe; preces ad Deum arcanorum testem fusae; oculi in coelum defixi, et magnae rei exitum expectantes. mox in puerum intenti vultus, attoniti et stupentibus similes. dejecti aut fidentes, pro ut is in hunc vel in illum oculos intendisset. cum tandem corona adstantium attente lustrata, admonente nullo, ad Ubertum puerili fiducia, velut ad familiarem oculis suis vultum, interritus ferri coepit, eumque blanda voce parentem appellare, et ad ejus cervicem parvas manus tendere. Hic obortae gaudio manare omnibus lacrymae, laetoque tumultu cuncta strepere: redditam matri pudicitiam, inventam patri prolem, subjectis principem, et paterni imperii olim successorem, gratulantium. Ubertus sublatum puerum, colloque admotum in osculum applicat, arctisque complexibus, paternum affectum exsatiat. tum Vuillam manu prehensam lacrymans lacrymantem, veluti tunc primum illam in thalami consortium reciperet delinire coepit; ac sollicite purgare factum, quo eum conjugalis dolor, et impetus

animi praecipitis impulisset : „ amorem , suspi-
„ ciosam , et temeritatis plenam rem esse; et
„ in eos quos ardentius diligat, saevire assue-
„ tam . veniam ipsi daret; si crudelis et im-
„ potentis domini vim non effugisset . quando
„ evenisset , quod in votis habuerat , ut potius
„ ipse temerarius , quam ea impudica repe-
„ riretur; placaret animum; nec tanti vulne-
„ ris cicatricem extare pateretur. ejus inno-
„ centiam ante experimentum feliciorem , post
„ illud certiorem futuram , quam superi mi-
„ raculo comprobassent „. Ad haec Vuilla non
tumens , et quasi imputaret ; sed vultu ad mo-
destiam composito , et in quo mixtus securita-
ti pudor , coelesti judicio fidem conciliaret ,
breviter respondit : „ se non magis de fama
„ sua , quam de viri perturbatione fuisse sol-
„ licitam . Caeterum sponte pudicam , daturam
„ operam ne coelesti testimonio indigna un-
„ quam videretur . remittere ultro offensam ,
„ quae ab amantis animo profecta , tantum
„ ipsi in praesenti decus , tantum apud po-
„ steros gloriam quaesisset . „ caeterum eo
metu liberata duas in agro lucensi Monacho-
rum celebres aedes , nempe ad Pontiani sub
urbis moenia , et ad D. Salvatoris ad la-
cum , cui Sexto nomen, praediis auxit : voto
forsitan inter illum animi aestum concepto ,

cum de ipsius fama vitaque judicium penderet.

Interea Othone, ut dictum est, post compressam Berengarii atque Adalberti tyrannidem, in Germaniam reverso; ut malus diuturnitatis custos metus est; rediere illi ad ingenium, ubi timere desierunt. quare tum sacras, tum profanas res turbando, eam sibi principum italorum conflarunt invidiam; ut Octaviani, qui Joannis XII. nomine Agapito successerat, potissimum opera, Otho in Italiam revocaretur. Natus erat Joannes Alberico, Adalberti Lucensium quondam reguli filio; patris opibus, quamquam immatura adhuc aetate, in id fastigium evectus, ut in illustri loco ejus vitia magis conspicerentur. Is quamquam Ermingardim Alberici sororem, ac Berengarii novercam (quod rarum) privigno faventem, arcta cognatione contingeret; tamen princeps melior quam affinis legatione missa Othonem sollicitavit: ostentato caesaris, et augusti nomine, si pontificum majestatem, a tyrannide regum italorum vindicasset. quippe Longobardis orti, velut haereditarium in summos sacerdotes odium, injuriis explebant. non minore gloria ipsum futurum, Berengario ac Adalberto sublatis, quam olim fuisset Carolus Desiderio capto quin etiam majus ipsi decus, si

pro uno duos reges vicisset. additus est legatis Ubertus Etruriae princeps, quem eorum temporum clarissimum scriptores illius aetatis appellant: quo auctore Otho priorem in Italiam expeditionem susceperat. nec difficilis in eam sententiam regis animus fuit: praegustata jam ante Italia, et avidis ejus provinciae sponte gentibus transalpinis. Quare instructo exercitu una cum conjuge iterum Alpes transmisit anno DCCCCLXII. decorum sibi ratus, si regum titulo Caesaris et Augusti appellationibus auxisset: utque olim Francis Carolus, ita ipse Germanis imperatorium nomen, et dignitatem invexisset. Itaque summo honore a Joanne exceptus, effusis obviam proceribus, ac populo cum plausu clamoribusque prosequente: pauloque post Caesar et Augustus appellatus ornatusque ejus fortunae insignibus, eisdem caeremoniis, quibus Leo III. Carolum consecraverat. praeter caeteras mutui amoris significationes, ad sacros Apostolorum cineres, devotis capitibus, si dolo malo alter alteri datam fidem fregisset. His peractis Otho Rŏma digressus Lucam accessit; amicam partibus suis urbem, et Adelaidis conjugis lucensi matre genitae, veluti patriam. sive Uberti invitatu, quem bis ad italicum iter hortatorem habuisset: sive

urbe nostra tunc Etruriae principe, ac vetere Longobardorum regia regumque hospitio decorari solita. Dum ibi moratur, augustae precibus confici literas jussit, quibus martinianae basilicae a regibus Hugone ac Lothario donata praedia, imperatoria auctoritate rata esse voluit: eoque jure possideri, quo quae optimo. quo tempore etiam Grimmae, sacrarum virginum D. Salvatoris antistitae, regiae clamydis decus concessit. Verum sacramentum inter Joannem Othonemque brevi perjurium excepit, siquidem intra annum vertentem juvenili levitate ad Berengarium Adalbertumque revolutus est: consilii poenitens, quo regium decus homo italus a popularibus suis in peregrinos transtulisset. oblitus Alberici patris, qui ne Hugonem quidem vitricum regnare passus esset: ipsumque Othonem Agapiti invitatu Romam accitum, introitu urbis prohibuisset. » Sacerdotium unica majestate re» ligionis armatum, tamdiu a regum servitu» te liberum fore, quamdiu ipsis visum non » fuerit imperare. quare si serviendum sit, » honestius a suis quam ab alienis premi. » Qua ingenii mobilitate audita, Otho adeo exarsit, ut Joanne velut puero palam increpito, Romam advolans, consecratorem suum, audaci exemplo, exaugurare jus fasque duxe-

rit: sacerdotum concilio advocato, cui, ut dictum est, Conradus lucensis interfuit, sanctimoniae fama aliqua ex parte laesa: nisi quod corrupti summi sacerdotis mores, specioso disciplinae praetextu obtentui erant. et Joannes quidem eam contumeliam flagitiis meritus: sed regum, caesarumque erga pontificem quemcumque veneratio et obsequium, non quaestio ac censura, munus est. Nec Otho ejus sacerdotii vim majestatemque evertere poterat, cujus se imperatorem esse voluisset. Sed facti temeritatem non sera vindicta consequuta est; quippe cum Roma discedens in Etruriam se contulisset germanus miles septemtrionis frigori assuetus, gravitate aestivi caeli absumptus est, morbis toto exercitu vulgatis, manifesto caelestium irarum indicio, ob violatam, quamquam in indigno homine, summi sacerdotii majestatem. Magna ex parte, eam aestatem Lucae Otho transegit, praecipuo in urbem nostram affectu: cujus non parvum momentum, Adelais uxor erat; quae, ut dixi, lucensi matre genita, maritum aliorum imperatorem, nostrum quodammodo civem effecerat, et manent apud nos caritatis a magno hospite pignora. Nam ut proximi eorum temporum scriptores memorant (1), primus urbi

(1) Villan. l. 4, cap. 1.

lucensi (rarum iis temporibus decus) signandi argenti aurique potestatem concessit: sanctumque apud posteros mansit, ut aerei nummi Othonis nomine signarentur. argenti aurique nota jam pridem obsolevit. Est apud me argenteus Othonis nomine inscriptus, altera parte apertis, altera arcanis notis de more illorum temporum (1): non alio quam materiae et antiquitatis pretio. Incidit hic secundus Othonis in lucensem urbem adventus, Ann. DCCCCLXIV. constatque ex literis ipsius, quibus egregia liberalitate collegium virginum D. Salvatoris praediis auget, eum IV. Kal. Augusti illius anni Lucae fuisse; ubi alias quoque pro Giliberto clusinorum monachorum antistite confici jussit III. nonas Augusti, a scriptore historiae pontificum italorum relatas (2). Eodem anno Atto Sigifredi lucensis filius, regum caesarumque affinitate, et Canusio condito celebris mortem obiit, filiis Tedaldo et Sigifredo relictis, quorum Tedaldus post Ugonem Uberti filium Etruriae imperavit. per eadem tempora Ubertus Lucensium regulus fato concessit, Hugoni filio principatu relicto.

(1) OTTO REX S.
VVLT. D. LVCA.
T. : T.

(2) Hugell. in Episc. Clusin. n. 6.

Caeterum Othone imperante, jacta paulatim etruscae atque italicae libertatis semina; quae non multò post, articulis temporum captatis, populi antiqui decoris memores, ad exitum fructumque perduxere. Nam Otho Caroli exemplo Italiam ordinare aggressus, quibusdam civitatibus indulsit, ut legibus suis viverent: aliis regulos praefectosque suo nomine imposuit; ea conditione ut etiam civitatibus ipsis corpus permitteret, jusque Romanorum more, annuos consules creandi: nec tota servitute, nec tota libertate. omnibus tamen tributa quaedam imperavit, quae advenientibus in Italiam caesaribus penderent: scilicet certam frumenti summam ad commeatus, sumptus in viarum pontiumque instaurationem, in stativa militum, manentisque imperatoris hospitium. Nec tantum publice civitatibus privilegia ac immunitates concessit: sed etiam ad privatam gratiam ineundam, Francorum regum, qui Italiam tenuerant, exemplo, iis quorum egregia opera in bello usus erat, regalia, ut tunc vocabant, privilegia largitus est. Erant autem ea, vel praedia, hoc est, jus percipiendorum fructuum, ex portubus, fluminibus, salinis, pecuniae signatura, aliisque vectigalibus ejus generis: vel dignitates; ut praefecturae regionum urbiumque, quarum regulos, duces, co-

mites, marchionesque appellabant. qui itidem, quo jure ipsi ab imperatoribus acceperant, pagum aliquem oppidumve (1) aliis praefectis, iique aliis tradere solebant: eosque majores minoresve appellabant, prout amplior angustiorve praefectura esset. ex quo factum est, ut nobilitas omnis, vel ab imperatoribus, vel a regulis, honestis muneribus occupata, eam rempublicam salvam ac perpetuam optarent, in qua ipsi aliquo in numero essent, partemque illius caperent. Ex quo tempore nova in Italiam conditio nobilitatis inducta; ut, spreta vetustatis opumve, aut alia claritudine ii tantum nobiles haberentur, qui, vel majores eorum aliquem ex his honorem, vel immunitatem cepissent. quae omnia sequentium temporum rebus gestis lucem allatura, curiosius persequi operae pretium visum. Haec est italicae dominationis forma per Othonem constituta; unde illi, ut olim Carolo, magni nomen, non tam adulatio, bonis aeque malisque regibus communis, quam insignis sapientia, et rerum gestarum magnitudo peperit.

His legibus, cum universa Italia, tum Lucenses utebantur Hugone principe: cui praeter Etruscam, per se amplam ac invidiosam,

(1) Sigon. de Regno Ital. l. 7.

Camertium quoque ac Spoletanorum dominatio accesserat. Verum cum ei laxior principatus videretur quam facile regi posset, ea praesertim aetate, qua corrupti mores grave imperium dominantibus faciebant, Etruriae dominatione contentus, caeteras remisit. rarum eo saeculo exemplum, quo insatiabilis dominandi libido omnia miscebat. Erat Hugo insigni aequitate in subjectos, pari prudentiae ac liberalitatis, nec minori clementiae laude, quae virum principem maxime commendat. fruebaturque saepius fama sua, cum vulgari habitu paucis comitibus, principis mores carpere, ejusque facta in deterius trahere aggressus, truci increpantium vultu excipiebatur, aliis mansuetudinem, aliis justitiam, aliasque ejus virtutes extollentibus, illum sibi diu incolumem a superis precabantur. Verum, sive aetatis, sive fortunae vitio, cupiditatibus in praeceps tractus, egregias dotes vivendi licentia, foedisque amoribus deterebat. donec objecta terribili specie, ad meliorem frugem revocatus, optimi principis exemplar deinceps vixit. Rem ita gestam vetusti annales tradunt (1). Mos erat Hugoni, ut viri principes solent, interdum laxare ab imperii curis animum, ac venationi indulgere.

(1) Villan. l. 4. c. 2.

igitur dum aliquando in silva feras jaculo insequitur, repente sereno antea caelo, spissae nubes condidere solem, ut non alia quam noctis species intuentibus esset. Tum ex omni parte ignes coruscare, et fulgurum fragor exaudiri: moxque imbrem permixta grandine procella excussit. dilapsis in diversa comitibus, dum se quisque hiemi subducere festinat, accidit ut Hugo solus, in abditam nemoris partem, viarum errore duceretur; circumspicienti in ea solitudine, locum aliquem ad imbris effugium, quoddam tugurium incurrit oculos, ex quo se se fumus evolvere, et audiri strepitus tamquam fabrorum, malleo et incudibus resonantium videbatur. Eo princeps effusis habenis ferri coepit, ratus aliquam ibi ferrariam esse, atque ubi tempestatis vis remisisset, posse a peritis locorum iter monstrari. Verum ut ad fores adsistit, oblata est inusitata quaedam fabrorum species, vultu nigranti, et ultra humanam formam terribili: non candentem ferri massam, sed miserorum corpora in ferri morem concepto igne, incudibus imposita malleis verberantium: aliorumque truncas manus, aut avulsa membra in fornacem injicientium, tamquam recoquerent. Eo spectaculo territus, haesit attonito similis: utque se tandem collegit, rogare instituit, quae-

nam eam inauditi moris ars esset, cujusque imperiis tam crudele supplicium exerceretur, tum ex tetris illis malleatoribus unus eas docet esse impiorum animas, solutas corporibus, quae Dei jussu, acerbis sed justis exemplis torquerentur. ad eumque modum non multo post futurum Hugoni cuidam Etruriae regulo, qui nunc se fortunae permittens, metu numinum vacuus, per luxum atque libidinem vitam duceret. Perculsus ea denunciatione princeps, toto corpore inhorrescere, ac gelido sudore perfusus linqui animo coepit. Mox resumpto spiritu criminum conscientia altos edere gemitus, solutusque in lacrymas semet incusare, vultum, pectus manibus converberare, pacemque numinis supplex exposcere: cum objecta species, evoluta repente ac elapsa ex oculis, attonitum ac stupentem velut emota mente destituit. Et jam excusso imbre vis hiemis laxaverat. cum Hugo defixo vultu, et magnarum cogitationum aestu jactatus, ire ad comites pergit; qui ejus errore solliciti, in via dispersi, domini vestigia sequebantur. cum in mutuum conspectum occurrentibus, attonita principis facies et ex morsu animi confusa, madentes oculi lacrymis, ac toto corpore suffusus pallor, inopinati alicujus mali suspicionem fecissent; satin salve? rogare in-

cipiunt: causasque subitae consternationis sciscitando elicere. Sed ubi obstinatum in silentium vident, verasque ejus motus causas avertentem, ingentes curas animo premere, et ex imo tantum edere suspiria; ipsi quoque perculsi ac tristes aliena moestitia, illum in urbem, regiamque reducunt. Fama deinde rimandis principum arcanis callida manavit in vulgus: commutatique in melius Hugonis mores, fidem fecere. Nam ex eo tempore in religionis cultu attentior, voluptates aspernari, piorum consuetudine uti familiarius coepit. tam effusa in ejus ordinis homines liberalitate, ut septem iis templa adjectis aedibus praediisque in annuum censum, construxerit; quorum unum eo loco aedificatum est, ubi se se horrenda illa species, ei visendam obtulerat. Sed novum pietatis studium militares in Hugone spiritus non fregit. Nam Othone III. qui patri avoque in imperio successerat, regnante, cum Landulphus Marsorum regulus, in ipso aetatis flore, dum in templo sacris interest, a conjuratis interfectus esset, Hugo sacrilegam affinis principis caedem ulturus, ex Etruria in Campaniam contendit: oppidoque expugnato, in quod parricidae confugerant, eosdem captos ultimo supplicio affecit. quod contigisse anno DCCCCXCII. clarus italici regni historiarum

scriptor tradit (1). licet in eo deceptus, quod Hugoni Sigiberti Atestini filio, eam ultionem adscribat: cum diserte id factum Hugoni Uberti Etruriae principis filio tribuat Petrus Damiani proximus eorum temporum scriptor (2), ac proinde majoris ad fidem momenti. Reversus ab ea expeditione Hugo, aliquanto post, nempe anno DCCCCXCVI. Othonem in Etruriam venientem Lucae excepit. cumque jam ante, insigni liberalitate, oppidum cui Verruca ultra jugum nomen est, templo Salvatoris ab Vuilla matre ad Sextum lacum condito, dono dedisset: eam liberalitatem, imperatoriis literis ratam optavit. eae adhuc apud monachos loci incolas extant, datae XII. Kal. Augusti hujus anni, apud Marliam lucensis agri pagum, aeris clementia ac salubritate celebratum: cum forte vitandae urbani caeli gravitati amoeno secessu caesarem Hugo detineret. Nec eo tempore tantum, lucensis urbis hospitio apud Hugonem Otho delectatus est; sed triennio post augusto mense eum Lucae fuisse auctores tradunt (3). et certe egregia erga Othonem fide Hugo extitit: nam cum a Romanis accitus, supremum apud eos magi-

(1) Sigon. l. 7. de Regn. Ital.
(2) Petr. Damian. l. 7. Epist. 12.
(3) Sigon. l. 7. de Regn. Italiae.

stratum, ducis nomine obtineret; mota in Othonem seditione, in qua vitae discrimen adiit, Hugo pro potestate ei turbae immixtus imperatorem periculo exemit, ejus partibus usque ad extremum fidus. quippe hoc illi novissimum mortalium operum fuit. Siquidem paulo post in Etruriam reversus, Florentiae (quidam Pistorii obiisse affirmant) decessit anno MI. XII. Kal. Januarii, conditusque est in basilica, quam ipse D. Virgini, regio splendore aedificaverat, opibusque auxerat (1): ejusque anniversaria funeris dies, ad haec usque tempora, inferiis solemnibus, et funebri laudatione colitur (2). Receptum in caelum Hugonem, ut pietate meruerat, illud inter caetera indicio est, quod ejus cadavere, prono in terram vultu per incuriam defosso, ipse per quietem aedituum loci admonuit, imperavitque ut extracto loculo, corpus suum erecto in caelum ore componeret. quae de cive ac principe nostro, eo libentius his annalibus inserui, quod Bertae aviae, avique Adalberti parum faustam memoriam, ipse sua laude commendatam reliquerit. de quo illud etiam praeterire

(1) Puccinellus in Vita Italica Hugonis.

(2) Del gran Barone, il cui nome, il cui pregio = il giorno di Tommaso riconforta. Dante.

non possum, quod Villanius errore vulgi deceptus memoriae prodidit (1): nempe Hugonem Germania ortum in Etruria consedisse: cum ipse in tabulis quae in antiquo lucensis basilicae tabulario extant, se Uberto patre genitum affirmet, quem Hugone Bertae filio ac Italiae rege natum, Lucae ac Etruriae imperasse, extra omnem controversiam est. Qui error etiam bonis illis viris imposuit, qui vetere conditorio extracta Hugonis ossa, in novum sepulcrum intulere an. MCCCCLXXXI. quam veteris memoriae inscitiam, ante castigaverat clarissimus sacrorum annalium scriptor Baronius (2). Decessit Hugo aetatis anno quinquagesimo, sine virili prole, Vuilla filia superstite, quae post Arduino regulo nupsit. cujus principis feminae liberalitate aedificatum est templum cum asceterio, apud Quiesam lucensis agri oppidum, ut vetustae tabulae basilicae Martinianae testantur. Rarum eo saeculo urbis nostrae decus, ut praeter Adalbertum, Guidonem, Lambertum, Hugonemque potentissimos Etruriae regulos ex se genitos, civem suum, Hugonis ac Lotharii regum, alterius vitricum, alterius avum adspexerit: Berenga-

(1) Villanii lib: 4. c. 2. de Hugone error.

(2) Baron. Tom. XI. ad Ann. 1002.

rium atque Adalbertum, et ipsos reges; Ermingardis civis suae alterum privignum, alterum nepotem tulerit: cum fere iisdem temporum spatiis Albericus lucensis Romae omnia posset; Octavianus lucensi patre genitus, summum sacerdotium obtineret: Berta Attonis lucensis filia Burgundiae regina: Adelais matre lucensi primo regina, deinde augusta: et quod ad memoriam posteritatis clarius est, eximiis virtutibus divorum honores adepta: perque eam tres Othones Lucensibus innexi: ac demum Ermingardis et Vuilla lucenses, pene reginarum fastigio, patriae gloriam attollerent.

Hugone mortuo, tradunt nonnulli Tedaldum Malespinam Attonis filium, Sigifredi nepotem, postliminio in antiquae originis patriam reversum, una cum lucensi Tusciae totius principatum obtinuisse. Alii contra ad Bonifacium Alberti sive Uberti filium, Hugonis fratrem, dominationem pervenisse contendunt. quorum opiniones aut refellere, aut probare, in tanta praesertim scriptorum ambiguitate, certa ratione non possumus. eam in praeteritis quoque a legentibus veniam petentes, ut si quid in confusa adeo rerum hujus aetatis caligine, non ita exacte vel temporum, vel negotiorum ratione subducta, peccasse contigerit, aequi bonique consulant. quod ab eo

me impetraturum facilius spero, qui vel paucorum annorum hujus saeculi memorias, et vetustatis et scriptorum vitio tenebris obrutas, evolvere tentaverit; coactusque ad implexas nominum ambiguitates, temporum pugnantes rationes, locorum diversitates toties haerere; periculo suo doctus, aliis ignoscere didicerit. Et me quoque, nisi suscepti operis amor, et spes meliorum temporum confirmasset, non semel taedio fatigatum, ac pene desperatione expediendi victum, manum tollere cogitasse non diffitear. Ut nulla par gratia referri possit iis, qui rerum nostrarum, intactum adhuc, nec ullis praeeuntium vestigiis monstratum, iter ingressi, illud labore suo mollitum domitumque, posteris aperuere. Tedaldo sive Bonifacio Hugonis in lucensi principatu successore, ejusque anno tertio, qui fuit annus MIV. primo inter Lucenses Pisanosque bellum exarsit: quod saepe ex intervallis repetitum, utrumque populum per annos amplius trecentos, mutuis cladibus attrivit. Quod ante quam scribere aggrediar, liceat mihi, ad illustriorem eorum quae dicentur cognitionem, pauca altius repetere. Pisas a Graecis in Etruria ad Arnum flumen conditas, vulgatum fama est (1): unde

(1) Strabo lib. 5.

illis Alphaeae cognomen ab amne poetarum carminibus celebri (1), qui Elaeas Pisas praeterfluit. Romani populi florentibus rebus, Pisani coloniae latinae jus adepti (2), ipsis agros offerentibus, qui novis colonis dividerentur: ac triennio post Lucam Romanorum colonia deducta: unde aemulatio decoris ac invidia; et mox controversia de finibus, veluti prima discordiarum semina: facili inter finitimos offensionum materia, et odiis uno tantum monte discretis. quae diu occulta, et velut ex alto collecta, occasione data acrius erumpere. donec respublica, aut caesarum imperium mansit, nulla arma nisi aut pro ipsis, aut adversus hostes: et in publica tantum orbis causa pax aut bellum: privatarum urbium simultatibus, unius imperii majestate pacatis. mox barbaris rem romanam invadentibus, in communi servitute quies: nec cuiquam cupido aut potestas inferendi aliis cladem; cunctis injuriarum suarum patientia occupatis. Post Gothos Longobardosque, mutatis dominis, servitus mansit: urbesque Italiae, aut regibus, aut quibus ii imposuissent subjectae, odia vel amicitias ad arbitrium imperantium capiebant. cum

(1) Virgil. lib. 10.
(2) Liv. lib. 40.

demum per Othonem magnum jacta libertatis etruscae fundamenta ejus nepote extincto, attolli in majus coepere. ex eoque tempore, licet regulorum dominatio adhuc minime obsolevisset, tamen laxior populis servitus: et vectigalium jure excepto, populus ad voluntatem bella, pacem, foedera, leges, nulla dominantium mentione sanciebat. et quae hactenus latuerant etruscae urbes, in commune notescere, in medium consulere, suis magistratibus, suis auspiciis res gerere instituerunt. Nec ante illam aetatem, Pisanos Lucensesque, aut alium quempiam ex Etruriae populis, aliquid reipublicae nomine gessisse, in vetustis annalibus traditur. quemadmodum et Genuensium potentia, tunc primum celebrari coepta; quae deinde late mari pervagata, clarissimis victoriis orientem implevit. Quod sive salva imperii reverentia, legibus concessum, sive regulorum dissimulatione, ita magis in obsequio civitates futuras rati, si mutuis odiis attererentur. quod contra accidit: populis dulcedine libertatis semel imbutis paulatim jugum concutientibus, donec omnino excussere. quod saepius tentatum, scriptores ejus temporis memorant; ob romanam originem avida libertatis Etruria, et nunquam nisi per vim dominantibus obnoxia. Hic primus in mutuam per-

niciem erumpendi Lucensibus Pisanisque aditus et veteres iras, clades inferendo accipiendoque, explendi. et supra veteres causas, Lucensibus quidem occultus livor, Pisanis navali gloria nobilitari jam incipientibus, hisque propter insitam genti superbiam indignantibus, tamdiu etrusci nominis decus perpetuo principum domicilio apud Lucenses mansisse: eosque nimium diu italicarum rerum arbitros infense aspicientibus. inde acrior utrinque ira; et semper majoribus odiis quam viribus bellatum: plerumque haud nimium in alterutram partem inclinante fortuna. Unde continua bello materia, nemine insigniter afflicto. Nunc his, nunc illis victoribus diruta ac incensa oppida, oppleti caedibus campi, captivorum turba carceres arctati. quin et utrinque servitum imperatumque: graviore tamen Lucensium fato, quibus superba et crudelis Pisanorum dominatio nihil sibi a barbaris gravius timendi reliquum fecit. Sed ea calamitate admodum profectum. nam acerbitas servitutis acriores reddidit, primo ad receptum, mox ad custodiam libertatis; et egregiam de illis ulciscendi occasionem, ipsorum tempora praebuere. cum quae illi Lucensibus fecerant a Florentinis passi, nostras manus opesque respicere coacti sunt: immensa urbis nostrae gloria,

consilio, auro, copiis, pro eorum libertate, tam impense laborantis, quam illi quondam pro nostra servitute. Numquam gravius consulente fortuna, quam ad eorum misericordiam compellendo, quibus imperaveris. Et mihi quidem utrumque populum aestimanti, cum sua cuique claritas fuerit, in altero mihi videtur extitisse plus religionis, in altero audaciae: Pisanos viribus, Lucenses consilio valuisse. utque illorum potentiam magis in speciem amplam. ita brevem fluxamque: contra Lucensium fortunam, ut non ita amplam ad gloriam, ita usu magis solidam fuisse. et ut Pisanis magnificum memorare maris imperium, perdomitas insulas, orientem victoriis lustratum: ita Lucensibus decorum, consilio et patientia, aliorum regum sibi amorem conciliasse, aliorum iras fregisse: ac caetera Etruria serviente, ultra annos trecentos externo dominatu intactos agere: et insigni exemplo, inter tot imperiorum conversiones, et magnarum urbium casus, florentes ac liberos gentibus monstrari. Sed jam in spatium redeamus. Igitur Othone III. qui ultimus ex ea stirpe regnavit, sine virili prole extincto itali principes vetera de recuperando Italiae regno agitare consilia coeperant. et Arduinus Eporediae regulus, Berengarii avi atque Adal-

berti patris ambitione velut haereditaria instinctus, regium nomen invaserat. processerantque pristini decoris restituendi conatus, nisi Arnulphus Mediolanensium pontifex, Henricum quem Germania Othoni suffecerat, in Italiam arcessisset: offensus ei dominationi, quamvis egregiae, cujus ipse auctor non fuisset. Transierat in Arduini partes Gallia Cisalpina ac Etruria, maximumque iis temporibus in ea provincia momentum, Lucenses. Quare excitato semel ferri armorumque studio, quam in amici regis gratiam comparaverant, facile fuit in finitimorum cladem, belli molem convertere. et aderat huic incepto, speciosissimus principum cupiditatibus obtentus, religio. tamquam Pisanis juste irascerentur, quod e Versilia, quae regio Lucensium dominationis erat, olei maxime feraci, commeatus exportarent, quos per avaritiam barbaris in Sardinia ac Corsica compendio majore distraherent. Et jam utrinque modicae concertationes ortae erant; dum Lucenses evehere prohibent; Pisani contra nituntur: spoliatique comparatis mercibus, vicissim negotiatorum lucensium res intercipiunt: sed tamen nihil publice motum fuerat; nec hactenus ultra privatas injurias progressum. Verum cum Pisani augendae dominationis cupidi, classe Sardiniam

aggressi, procul a domo abessent, educto in eam expeditionem virium robore; Lucenses ultionis quam bonae famae avidiores, hostium absentiam opportunitatem suam rati, ex improviso una cum Insubrum copiis, quas in auxilium acciverant, Pisanum agrum adorti, totum fere in suam ditionem redegere, capta ad Aesarem flumen valida munitione. Nec interea, dum populus armis rem auget, Rodilandus lucensis antistes (Teogamizum Annales pisani fuisse tradunt (1)) potestatis suae fines promovendi cupidus cessavit. quippe Arni Aeraeque fluminibus adjecta oppida, partemque montanae regionis; interque ea Miniate oppidum occupatum, cum quibusdam aliis florentini agri, quae pisano antistiti parebant, provinciae suae adjunxit: tamquam ea potestas quoque bello et armis quaereretur. quorum pleraque usque ad nostram aetatem, sacrae lucensium praesulum ditioni paruere: donec Gregorius XV. novo antistite Miniatensibus dato, circumjectos pagos ejus curationi adjunxit. Interea Pisani circa Sardiniam, trepidis de incursione Lucensium nunciis, urbisque suae periculo exciti, pleni irarum infensique, quod sibi finitimorum invidia de manibus vi-

(1) Tronci Annal. Pis.

ctoria eriperetur, conversa classe Pisas repetunt. expositisque copiis Lucenses adorti, eos usque ad oppidum, cui Ripafracta (Librafactam alii vocant) nomen est, compulsos, ad aquam longam fudere. illis dolore ac ira, ob interceptum maritimae expeditionis decus, vires addente: cum contra Lucensibus inexpectatus hostis, et parum pie mota arma, animos minuerent: quae saepius, non tam virtute ac robore, quam causa juvantur. Sed ejus victoriae fructu, non diu Pisanis laetari contigit. nam Musactus Sardiniae rex, ostentatione belli magis quam bello irritatus, sequenti anno cum magnis Saracenorum, quibus imperitabat, copiis, ad litora Pisanorum appulsus, cum urbem, classe in Calabriae oram profecta, vacuam reperisset, vastatis late circa agris, facile eam expugnavit, direptamque ac incensam pene solo evertit: civibus qui acerbitati hostium superfuere, fuga in proximos montes dilapsis: unde sequenti anno per augustum mensem in campos delati, ruinas eversae urbis instaurare coeperunt. Ea Pisanorum calamitate moti Lucenses, ne superbe miseris insultare viderentur, quamquam tanta clade attritos, subjugare facile potuissent, bello abstinuere. armis biennio ante parum aeque susceptis, hac moderatione purgatis.

Dum haec aguntur Henricus, quem a mediolanensi antistite accitum antea memoravi, in Italia erat. cum labante Arduini fortuna, Lucenses cum Tedaldo ipsorum regulo, eo deserto, ad Germanum opes atque animum transtulere. illi ab Alpibus descendenti Veronae Tedaldus cum etruscis copiis occurrit: ac per Etruriam iter agentem deduxit: et forsan consueto regum caesarumque hospitio Lucae excepit. Henrico in Germaniam, post susceptum diadema imperatorium Arnulphi manu, reverso, Tedaldus Lucam concessit. cumque instare sibi fatum sentiret, Bonifacio e liberis natu maximo, ne quid se mortuo turbaretur, sponte principatum cessit: in ejusque verba Etruriam, caeterasque aviti imperii urbes adegit. Nec diu post inter mortales fuit, anno MVII. extinctus. clarus optimi principis fama, et Bonifacio filio ac Mathildi nepote, etiam post mortem clarior. Praeter Bonifacium duos filios reliquit: Tedaldum, qui Arretinorum sacerdotio potitus est, insigni castitate celebrem: et Conradum, quem armorum gloriam sequutum, in medio cursu fortuna destituit, misère a conjuratis occisum. Verum Tedaldo defuncto, quamquam Bonifacii rebus satis consultum videretur, ne quid ei in successione paternae dominationis obstare posset; tamen,

quaecumque ea causa fuerit, Etruriae principatum adire prohibitus est. quamquam ingentem pecuniae vim a patre relictam, (duodecim aureorum saccos fuisse affirmant), sternendo sibi ad imperium aditu profudisset. Nam post Tedaldum imperasse Etruriae usque ad annum MIX. Bonifacium Alberti filium constat: et ab eo tempore per biennii spatium, Adalbertum Oberti filium, magnique Adalberti olim Etruriae reguli nepotem. nam praeter Guidonem ac Lambertum, tertius Adalberti filius Obertus, in vetustis eorum temporum monumentis reperitur. post hunc Adalbertum imperavit Lucensibus Ranerius: quem Otho Frisigensis illustris auctor (1), Conrado, qui in imperium Henrico successerat, in Italiam venienti, apud Vercellas cum civibus lucensibus obviam fuisse memorat. et Petrus Damiani eorum temporum proximus, Ranerium Etruriae imperasse, non uno loco meminit (2). quem et ait a se in Palestinam, expiandorum criminum causa peregrinari jussum. Quamdiu hic dominationem tenuerit incertum. illud constat, eum anno MXXVI adhuc inter mortales egisse: cum Conradus eo tempore Vercellis fuerit, ubi a Ranerio conventum, pau-

(1) Otho Frisigensis lib. 7. c. 28.

(2) Petrus Damian. l. 7. epist. 47.

lo ante memoravi. Nec Bonifacii Tedaldi filii principatus, ante annum MXXXIV. ullum ex vetustis monumentis assertorem habet: ex quo tempore annos illius numerare incipiemus. Toto igitur eo spatio, quod a Tedaldi parentis morte, usque ad id temporis intercessit, Bonifacius in Gallia Cisalpina, apud avitae dominationis oppida egit: ea fortuna, quam scriptores illarum rerum tradunt; nec his annalibus inserere operae pretium est, ut a Lucensium gestorum ordine sejunctam. Is igitur Etruriae dominatione potitus; ac biennio post amissa uxore Richilde, per quam sanguini Cunegundis augustae Hénrici quondam conjugis innexus erat; Beatricem non Graecorum imperatoris filiam, ut falso Villanius credidit (1), sed Friderico Lotharingiae regulo, ac Mathildi Conradi imperatoris sorore, vel filia (utrumque traditur) genitam, in matrimonium accepit: iis quoque nuptiis caesarum sanguinem contingens: quas, ut ditissimo Italiae principe, ac regia domo unde nupta petebatur, dignum erat, regali magnificentia celebravit. nam ad deducendam sponsam, cum flore etruscae nobilitatis in Galliam profectus, eo splendore luxuque iter egit, ut non Etruriae prin-

(1) Villan. lib. 4. c. 20.

cipem, sed regem aliquem Persarum Parthorumque migrare crederes. Ingens illum equitum multitudo prosequebatur, in quibus supra caeterum luxum, illud admiratione dignum visebatur, quod equorum pedes soleis argenteis induti erant, quas argentei clavi pariter continebant; ita de industria, ad ostentationem potentiae, negligenter infixi, ut eorum acie minime retusa, laxius adstringerent: quo incessu jumentorum excussae, tamquam magni peregrini vestigia, inventuris gaudium relinquerentur. Italiam intranti praecipua Insubriae nobilitas, et ex Liguria Romaque ipsa, proceres in obsequium effusi, obvii fuere. Nuptiae apud Maragum, oppidum Mincio flumine appositum, trium mensium spatio celebratae: luxu apparatuque, etiam supra regum fortunam ambitioso. nullus ibi convivarum numerus aut delectus: sed omnibus passim accumbere jus erat. cibi in omnem gulae artem compositi, argenteis aureisque vasis inferebantur. nec tantum convivis, in aureis gemmatisque poculis, sed etiam in vulgi usum puteis, insigni nobilitate vina spumabant: quae argenteis urnis, serie annulorum argenteorum suspensis hauriebantur. ipsis etiam molarum rivis, aromatum odorato liquore corruptis. quas lautitias pretiosa convivis data munera

commendabant. Sed virtus, quae fortissimum quemque legit, non diu passa est martium Bonifacii animum deliciis senescere. verum a triclinio ac thalamo in castra et aciem eduxit. Nam circa exitum anni, tumultu inter cives, et Conradi imperatoris milites, Parmae exorto; missus a caesare ad eum sedandum, vix cum exercitu in urbis conspectu stetit, cum Parmenses ejus praesentia moti, se in caesaris potestate futuros polliciti sunt. quamquam postmodum nova seditione concitata, ferro flammisque magna ex parte civitas vastata sit. In qua expeditione, ita fidem virtutemque affini imperatori approbavit; ut is novo more, non tamquam cum fiduciario et obnoxio; sed velut cum sui juris fortunaeque principe, ferire foedus, ac societatem inire, conceptis jusjurandi verbis voluerit. Parmensi tumultu sedato Conradus februario mense insequentis anni una cum Benedicto IX. pontifice maximo, qui ad eum superiore anno Cremonam accesserat, uxore Gisla, Henrico filio, ejusque conjuge Cunegunde, ac magno praeterea procerum praesulumque comitatu, Romam profectus, eo itinere Lucam venit, ac in regia domo apud Vivinariam (oppidum octo ferme passuum ab urbe millibus, ad orientem olim situm) a Bonifacio exceptus est; eo apparatu qualis sum-

mos mortalium decebat: universi christiani orbis majestate intra unam domum conclusa. Caesar dum ibi moratur, VIII. Kal. Mart. Gislae uxoris rogatu, sacerdotibus martinianae basilicae immunitates concessit: literis in ejusdem basilicae tabulario adhuc extantibus. Verum cum is proximo anno defunctus esset, Henrico, qui jam ante cum patre regnabat, imperium delatum est. apud quem non minore fama ac pretio, quam apud Conradum fuerat, Bonifacius extitit. Nec diu fortuna experiendi occasionem differri passa est. Praeter pannonicum ac boemicum, novus imperator burgundo bello implicitus erat. Itaque cum jam diu in obsidione cujusdam oppidi (Miroaltum incolae appellant) situ atque operibus munitissimi detineretur; veritus ne si incepto absisteret, primordia regni tamquam sinistro omine foedarentur; Bonifacium Italia cum auxiliaribus copiis excivit: in eo gloriam famamque suam verti professus, si eo oppido poti-retur. Eo nuncio accepto Bonifacius, raptim collecta suorum manu, in Galliam magnis itineribus contendit: egregium sibi ratus, si caesari momentum victoriae fuisset. Sed cum, uti memoravi, arx et ingenio loci, et adjectis munitionibus inexpugnabilis videretur; ad artes ac dolos versus, quae in bello perinde ac ro-

bur virtusque valent; ea illum cogitatio subiit, posse oppidanos vel incautos opprimi, vel extra munimenta ad pugnam trahi, si desperationis simulatione, rex aut omnino solveret obsidionem, aut aliquanto laxaret. Itaque consilio per nuncios ei communicato, cum utile visum esset: triduum ante Bonifacii adventum, ut inter eos constitutum erat, rex inde castra movit. Hostes, quae insidiae erant, desperationem rati, tanquam potiti victoria animos sustulere: solutique malis obsidionis, fatigata corpora quieti dare, omnia negligentius agere, et tamquam confecto bello, per otium extra munimenta vagari coepere: cum ex insperato Italorum acies, nullis ante famae indiciis cognita, erectis vexillis ante moenia se se ostendit. Perculsi inopinata specie Burgundi, quamquam novum de integro bellum sibi exortum intelligerent. tamen resumpto spiritu, et ex repulso caesare minoris victoriae audaciam capientes, inconditi ac tumultuantes oppido se se proripiunt. excepere stolida ferocia in se ruentes Itali, magnoque tubarum tympanorumque strepitu perterrefactos, clypeorum umbonibus, ac strictis gladiis proturbant: ac impetum non sustinentes, versosque in fugam, usque ad portas insecuti, magna edita strage aditum occupant, atque oppido potiun-

tur. tanta celeritate ut caesari ad constitutum. tempus revertenti, in itinere ante victoriam quam adventum Bonifacii, fama perferrét. Sed eam laudem Bonifacius insigni crudelitate corrupit. siquidem cum victorem exercitum in Italiam reduceret, in oppidi cujusdam agro intra Burgundiae fines castra posuit. Virebant adultae in arvis ac maturitati proximae fruges: milesque, deficiente alterius alimenti copia, iis uti ad equorum pabulum cogebatur. Ferebant hanc injuriam iniquo animo agricolae; annique spem in ipso limine praeripi sibi indignantes, pabulatores adorti, ereptis frugibus equisque, vacuos in castra dimiserant. Movit ea contumelia Bonifacium; et ex militari ingenio inferendae, quam accipiendae injuriae facilior, in ultionem exarsit. Itaque robur exercitus, secum per simulationem abductum, non procul oppido in insidiis locat. tum quosdam hastatorum, ad populandum agrum in oculis oppidanorum praemittit, ut damno motos ex oppido elicerent, sensimque velut cedentes instantibus, eos in insidias pertraherent. Equites, ut imperatum erat, vastare agros incipiunt: oppidani facto in eos impetu prohibent: ortaque concertatione, illi metum simulantes paulatim referre pedem, quo audaciam insequendi hosti facerent; mox fron-

tem rursus ostendere: donec socjorum latebris vicini aperta fuga terga convertunt. hi perculsis instare ac tergis fugientium insistere: donec ingenti clamore sublato, miles ex insidiis cooritur; circumventosque partim repugnantes caedunt, partim capiunt, paucis fuga elapsis. Bonifacius captos hostes, et in conspectum adductos, ante superbe increpitos, exsectis naribus auribusque, saevo imperio deformari jussit: spectaculum triste etiam iratis. Constat hujusmodi membris detruncatis, tres militares clypeos refertos: ut melius occisis consultum sit, quos ludibrio mors exemit. Inter eos, qui in victoris potestatem venere, filius unicus feminae pernobilis erat. illa ad nuncium de filii captivitate exanimis, oppido egressa, lacrymans ad ducis genua provolvitur: et si a contumelia abstineat, quanti pondo filius sit, tantumdem argenti repensuram spondet. Ad haec Bonifacius superbo responso: « meminisse se, inquit, non negotiatorem, sed principem esse: nec argento distrahere, quos ferro cepisset. » simulque his dictis juvenem in conspectu matris detruncari jubet: ita futurum dictitans, ut numquam sui oblivisceretur. Dum Bonifacius in Gallia gerendae rei abest, Lucae fortuito incendium excitatum, prope D. Frigdiani aedem, quo complu-

res domus absumptae. quippe tunc temporis pleraque aedificia anteriori praecipue parte, lignea erant: quare saepius, facili concipiendo alendoque igni materia, ea clades accepta: quorum non nulla ad avorum aetatem duravere: Josephusque Civitalis lucensium rerum laudatus auctor, quaedam a se visa memoriae prodidit. Per idem tempus inter Lucenses Pisanosque, odiis calentibus arma iterum exarsisse, recens annalium pisanorum scriptor tradit (1). Pisani cum valida manu, in maritima Lucensium ora, circa Viaregium oppidum se se ostentaverant. qua re Lucenses moti, raptim comparato exercitu accitisque auxiliarium copiis eos adorti, in fugam vertere. cui ignominiae abolendae Pisani auctis viribus, facto in victores lucenses impetu, cum divisis copiis medios intercepissent, commissa inter paludes pugna, quamquam strenue dimicantes fudere: aliis eorum caesis, partim captis. cujus facti nullo veterum scriptorum testimonio subnixi, sit penes auctorem fides: alias malignitatis in Lucenses suspicione minime intactum. Haec Bonifacio adhuc absente, an in Etruriam confecto gallico bello jam reverso contigerint, non satis constat. illud exploratum est, illum

(1) Troncius Ann. 1010.

anno MXLIV. et XLVII. Lucae fuisse, ut ex martinianae basilicae antiquis tabulis colligitur. inter quorum annorum spatium, nempe anno MXLVI. Mathildim ex Beatrice suscepit. Quare clarissimam omnis memoriae principem feminam, non lucensi modo cive, sed in ipsa lucensi urbe partu editam, non levi conjectura praesumitur. quod decus urbi nostrae aliis concedentibus, invidentibus aliis, eruditissimus aetatis nostrae scriptor Florentinius (1), nuper ineluctabili fide antiquitatis asseruit. cujus puellae ortus, quodam futuri omine, in ea tempora incidit, quibus romana ecclesia, tribus summum sacerdotium sibi vindicantibus, ambitione et discordia lacerabatur: ut in ejus sinum, agitatam quassatamque, olim velut in portum se se recepturam, pontificatus majestatem monstraretur. Ob eas turbas Henricus cum Romam se contulisset, dejecto Gregorio, qui Benedicto et Silvestro aemulis pulsis, sacerdotium obtinebat, Clementem suffecit: a quo ipse cum Agnete uxore Augustus appellatus est, ejusque fortunae insignibus, celebri pompa decoratus. in tantum serviente religione, ut summi sacerdotes augustorum suffragio renunciarentur: adeo in ipsa servitute majestatem suam reti-

(1) Franciscus Maria Florentin. in Vita Mathild. L. 3.

nente, ut caesares et augusti, nunquam se fastigium illud rite adeptos putarent, nisi a pontificibus maximis accepissent: etiam inviti, majores fassi, quos ipsi fecissent.

Aderat Henrico arcanorum omnium conscius Bonifacius: nec aliquid serio aut joco augustus aggrediebatur, cujus arbiter etruscus non esset. Quo tempore, ex re levi ostentandae potentiae materia regulo oblata, pene illi in perniciem vertit: magna apud augustum conflata invidia, unde insignem gratiam speraverat. Exciderat caesari familiaris super coenam vox, qua inter ciborum sapores, acetum maxime tristissimae asperitatis laudaverat: questus rarum ea acrimonia inveniri, quae palatum ipsius caperet. Excepit eam Bonifacius, ut magnatum dicta mos est, atque animo abdidit: reversusque Canusium, ubi eo tempore morabatur, quo caesari Placentiae stativa habenti, praesto esset; corruptum e falerno optimo acerrimae mordacitatis acetum, sollicite conquisivit, quod augusto transmitteret. sed ut vulgare donum aliquo magnificentiae splendore commendaret, non amphoras modo liquori excipiendo, sed et argenteum vehiculum, in magnitudinem vulgarium elaborari jubet; jumentis quoque argento assimulatis, quae jugo in speciem ducentium adjuncta, a veris ageren-

tur. cunctisque regio luxu perfectis, munus augusto Placentiam per amicos destinat, qui vulgaris speciei donum saltem verbis ornarent. Suspensa in admirationem tantae magnificentiae aula, ipse quoque imperator stupenti similis, vultu ad hilaritatem composito, affinis reguli liberalitatem accepit. ceterum animo anxius reputare secum instituit, quantum ipse caesar, et augustus, unius reguli comparatione pauper esset. non expectandum, ut qui jam imperatores opibus vinceret, etiam fastigio aequare vellet. nunquam se trans alpes regressum, quieto animo futurum, si eum in Italia relinqueret, qui posset imperare. cupiditatem regnandi blandam rem esse, quae callide se insinuet, atque etiam rejicientibus placeat. proinde praecidendos omnes rerum novarum aditus:· curandumque qui modo nolit, ne imperare unquam possit. quare Bonifacii animum, artibus tentare aggressus, id unum agere, ut eum specie honoris ab Italia avocaret: oblatis muneribus honestissimis, quibus in aula imperatoria fungeretur. Sed Bonifacius, sive fraude intellecta, sive quod aegre a domo abesset, caesaris egregia in se voluntate multum collaudata, alias atque alias causas simulando, eam necessitatem vitavit. nec exinde Henricus nectère ei insidias destitit: quas et

suorum fide, et ingenii calliditate elusit: donec ille in Germaniam reversus, timeri ex longinquo desiit. Creber hic caesarum in Italiam adventus, supra caetera incommoda, illud omnium longe gravissimum intulerat, quod religioni se se immiscentes, primo publici boni obtentu, dein avaritia eo paulatim rem deduxerant, ut passim sacerdotia, tamquam sub hasta venalia haberent. itaque cum non sapientiae aut morum, sed auri argentique, in sacris hominibus legendis ratio haberetur, ubique infulae vittaeque ab indignis foedabantur. adeoque ea pestis invaluerat, ut quod aliis temporibus vitium iis saeculum esset. Regum exemplo minores principes paria audebant: inter quos Bonifacium quoque, alias egregium, et animo adversus pecuniam invicto, saeculi labes infecerat. sed commune crimen, solus fere insigni poenitentia emendavit. Nam Leone IX. rara sanctimonia, post tot summi sacerdotii maculas, in romana sede consecrato, cum emortuus pridem veteris disciplinae vigor reflorescere, ac religionis majestas, e situ ac tenebris emergere inciperet, sacrilegi occupatis sacerdotiis abire, eorumque sceleris participes reguli, diris ac devotionibus, sacris abesse cogebantur. Quare Bonifacius, Guidonis eximia sanctitate viri, qui Pomposiae praesidebat,

(erat id monachorum collegium, ad Volanam Padi ostium, ea tempestate fama celebre) partim privatis, partim publicis admonitionibus, religione motus: ut eo se se piaculo exsolveret, monitori suo in genua submitti, nudare terga, caedi virgis, iis opibus, ea dignitate sustinuit: illoque exsecrationis verba praeeunte, factum ejuravit. insigni christianae demissionis exemplo; et quod caeteris principibus post hanc doctrinam, sacerdotii majestatem sanctitatemque spernentem, natis, pudorem injiciat. Neque hic motus semel religione animus stetit. quippe votum nuncupavit, post vertentem annum, in sacram Hierosolymorum urbem navigandi: solvissetque conceptum, nisi piis conatibus mors intervenisset. Dum eam expeditionem Bonifacius molitur, per insidias inter venandum ab exule, ut creditum est, exceptus, ac sagittis confossus, quas veneno illitas immedicabile vulnus arguit, e vivis excessit anno MLII. cum lucensem, etruscumque principatum, annis octodecim tenuisset, tribus liberis superstitibus, Friderico, Beatrice, ac Mathildi: quorum prioribus immatura morte defunctis, novissima paternum imperium ea gloria tenuit, ut paucorum virorum, ne dum feminarum nomen, gloriosum aeque ad memoriam posteritatis pervenerit. Fuit Bo-

nifacius principum non Italiae modo, sed etiam Europae sua aetate ditissimus. potentia dominationis, non intra fines Etruriae conclusa, sed imperio per Galliam Cisalpinam, aliasque Italiae provincias producto. clarae ejus imperii urbes, Luca, Pisae, Florentia, Parma, Ferraria, Mantua, Mutina, ac etiam Verona, si quibusdam fides. pluribus quoque trans Alpes oppidis, dotali nomine possessis. animus illi fortunae par; et pacis bellique artibus gnarus, sed sacrilegio pacem, crudelitate bellum foedavit. callido praeterea ingenio, et simulandi ac dissimulandi artifice. liberalitas, et magnificentia ingens, pene usque in exitium. cui comes avaritia extitit. qua subjectos nimiis tributis vexavit: per injuriam colligens, quae luxu prodigeret. imperatorum affinitate et gratia, postremo etiam invidia memorabilis. ejus saeculi vitia habuit: sed et poenitentiam, non ejus saeculi virtutem. ad extremum felix, si quam caesarum cavit insidias, tam exulum potuisset. periit integra adhuc aetate, sed quae jam prona in senectutem vergeret: sepultusque est Mantuae in basilica ejus urbis, titulo minime invidioso; sed cui ad gloriam inscripta sufficiat una Mathildis. Obierat biennio ante Lucae Davinus, gente Armenius, qui in occidentem religionis causa pro-

fectus; dum in urbe nostra in Gallaeciam ad Jacobi Apostoli sepulcrum iter parat, in caelum antequam in Hispaniam pervenit. post mortem clarus prodigiis, ut antea virtutibus, in numerum Divorum relatus est: maximaque veneratione ad haec usque tempora colitur, in basilica principis angelorum in foro lucensi. defuncto corpore, post tot saecula, fati injuriam minime sentiente. adeo non dilapsis tabo membris, aut solutis in cinerem, ut ne quidem speciem habitumque oris adhuc mors confuderit. Tanto post mortem Bonifacio clarior, quanto vita et fortuna obscurior fuerat.

Finis Libri Secundi.

LIBER III.

BREVIARIUM LIBRI

Beatrix Tusciae imperium capit. Godefrido Lotharingiae regulo iterum nubit. Henricus imperator in Italiam descendit. Beatricem in custodia retinet. bellum inter Lucenses et Pisanos. ab Henrico imp. componitur. Beatrix e custodia emissa. Fridericus Godefridi frater Pont. Max. creatur Stephani IX. nomine. Florentiae moritur. D. Georgio aedes extruitur. Anselmus Badagius episcopus lucensis. in Insubriam Germaniamque legatur. basilicam martinianam aedificat. absens pontifex creatur. Schisma imperatoris opera conflatur. Alexander Lucae concilium celebrat. lucensem episcopatum cum pontificatu retinet. plumbeam bullam lucensi magistratui concedit. item sacerdotibus martinianis albas infulas. pallium et crucem lucensi episcopo indulget. Lucam saepius revisit. Mathildis primum Gozeloni, dein Guelpho nubit. Alexander basilicam martinianam solemni ritu dedicat. templum D. Alexandro extruit. item partem anteriorem basilicae D. Michaelis. moritur, eique Gregorius VII. succedit. S. Anselmus episcopus lucensis creatur. Consulum lucensium prima mentio. Beatrix moritur Pisis. lites inter Anselmum

et martinianos sacerdotes. urbe pellitur. S. Leo cavensis civis lucensis sanctimonia floret. Henricus imperator Lucam venit. S. Anselmus Mantuae moritur. Lucenses Vaccolum evertunt. Mathildis Henrici imperatoris exercitum fundit. Lucenses cum Godefrido ad sacrum bellum profecti. Urbanus II. Lucam venit. Rogerii lucensis episcopi in eum libertas. Lauduvinus lucensis S. Brunonis socius. Bellum cum Pisanis renovatur. Paschalis II. Lucam venit. Mathildis aedem sacram ad Frisonariam restituit. Pax inter Pisanos, Lucensesque. Lucenses in Baleari expeditione Pisanos juvant. Mathildis moritur. ejus elogium. ossa in Vaticano condita. Conradus in Tusciae imperio Mathildi succedit. Lucensis Pisanusque antistes invicem certant. D. Concordio suburbana aedes extructa. Pax inter Lucenses Pisanosque rescissa. Rogerius Pisanus antistes a lucensibus captus. Schisma in ecclesia. Phocensium oppidum a Lucensibus eversum. incendium Lucae excitatum. Corvaria Lucensibus deditur. Pisani bellum Lucensibus inferunt. Balduinus Pisarum archiepiscopus illud fovet. Rabies horum populorum mutua. Eugenius III. Lucam venit. Serici vermes ex India advecti. Gujelmus Aquitaniae regulus Lucensium armis praeficitur. Lucensi pecuniae privilegia a pontificibus, caesaribusque concessa. Fridericus I. imperator Lucam venit. Reipublicae eorum temporum forma. Currus militaris origo. Victor pseudopontifex Lucae moritur. bellum cum Pisanis geritur. item in provin-

cia feroniensi. Mutronis situs, ac munitio. capitur a Pisanis. Pax inter Lucenses Pisanosque a Friderico imperatore sancitur. Lucius III. lucensis pontifex creatur. a Romanis vexatur. Lucam venit. basilicae martinianae privilegia indulget. Moritur Veronae. Hierosolymae a Saladino captae. civilis discordia. Henricus imperator Lucam venit. plures arces contra Pisanos extructae. civitas in partes scissa. Luca turribus frequens. Seditio Lucae oritur. Corvarienses dynastae in civitatem recepti.

Continet Acta Annorum CXLVII.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER TERTIUS.

Viduam Bonifacii morte Etruriam Beatrix uxor tutelae nomine sub imperium accepit. par illi tantae fortunae animus: sed feminam, ac tres immatura aetate pueros reputantem, retinendae tam amplae dominationis cura angebat. « Nam ut a subjectis, inveterato er-
» ga Malespinam domum obsequio, nihil mo-
» veretur; non defuturos, qui dominandi cu-
» piditate, eorum fidem sollicitarent. Bonifa-
» cium post tanta merita Henrico gravem fuis-
» se: unam feminam tres pueros parvas cae-
» sari moras: regibusque quaerentibus sem-
» per causas adesse. Jam pridem etruscae do-
» minationi animos augustum adjecisse: exple-
» turum modo ea consilia, quibus viri poten-
» tia et calliditas obstitisset. Itaque paranda
» subsidia; mutandumque Bonifacium alio prin-
» cipe, qui defuncti liberis securitatem, cae-
» sari reverentiam afferret. casuros inimicis
» animos, ubi ipsam non amplius viduam, par-

» vosque liberos haud ultra pupillos aspe-
» xissent. » Circumspicienti, quem tantae fortunae admoveret, placuit Godefridus, qui Gozeloni patri in imperio Lotharingiae inferioris successerat: et ipse, amissa paulo ante conjuge, opportune caelebs. quippe principem eadem stirpe, qua ipsa genitum; videri posse non tam libidini maritum, quam liberis tutorem quaesitum. Nuptiae igitur solemni apparatu celebratae, quibus Godefridus lucensem etruscamque dominationem adeptus est. Ea res magnum scrupulum Henrico imperatori injecit. angebat suspicacem animum, praeter vulgatum principum italorum ad res novas studium, ipsius Godefridi ingenium, quantaecumque fortunae capax; ipsique privatis odiis infensi; novique imperii accessione ad ultionem usuri. quippe Henricus prohibuerat Godefridum, integram paterni imperii haereditatem adire. unde atrox ira, et suscepta in caesarem arma, quibus dolorem suum saevis exemplis ultus erat. et quamquam pax deinde conciliata, arma potius quam odia posita credebantur. Nec deerant qui ex Italia hanc opinionem in animo caesaris alerent: sive ejus partium studio, seu novi reguli invidia. cui aggerandae magnum momentum fuit, vulgatus perinde temere ac creditus rumor, Frideri-

cum Godefridi germanum, quem Leo pontifex maximus Constantinopolim oratorem miserat, ingentem pecuniae vim inde attulisse; novis rebus materiam, et fraternae ambitionis instrumentum. Quare Henrici filii inauguratione Aquis peracta, propere in Italiam contendit, ineunte anno MLV. Adventanti non ipse, ut mos erat, sed per legatos lucensis regulus obviam processit, suspecta caesaris fide: Beatrix, sive sexus fiducia, sive sanguinis conjunctione placatiorem sibi Henricum sperans, coram affuit: exprobrantique matrimonium cum imperii hoste, tamquam satisfacere posset, causas reddidit: solitudinem suam, liberorum infantiam, malevolorum invidiam quidve sibi insuper timendum foret, si Normanni, fera ac bellicosa gens, rebus in Apulia prospere gestis tumidi, ac ceterae Italiae minaces, victricia arma in Etruriam vertissent. Sed placare nolentem difficile erat. et apud imbutum semel suspicione animum, quod fieri poterat, factum aestimabatur. tamen, ne si quid gravius in Godefridum consuluisset, desperantem rebus suis, barbaris Etruriae invadendae ducem traderet, illi in speciem ignovit: Beatricem vero, velut fidei pignus, obsidem apud se retinuit. quod dum in Fridericum, unicum ex Bonifacio virilis stirpis superstitem pa-

rat, is cum Beatrice, altera sororum, in pueritiae flore extinctus; Mathildi amplissimam paterni imperii haereditatem, octavum jam annum agenti reliquit, incertum, ex eo tempore, an apud matrem in custodia caesaris, an apud alios educatae. Dum haec aguntur, iterum inter Pisanos Lucensesque bellum exarserat. quod magno armorum apparatu gestum, annales ejus temporis tradunt. editaque memorabili pugna ad Vacculum, ad Juliani montis radices oppidum; cum strenue bellatum utrinque foret, victoria propius Pisanos inclinavit, si eorum annalibus fides, cuncta plerumque in popularium suorum gloriam attollentibus. ei discordiae componendae Henricus imperator Geberardum pontificem ratisbonensem in Etruriam legavit; quem hoc anno ineunte Majo Lucae fuisse constat ex ipsius actis in regia extra urbem (1). Sed acerbiora erant odia, quam ut unius privati sacerdotis auctoritate placari possent. Quare Henricus, ut imperatoriae majestatis objectu contumaces populos coerceret, Lucam paulo post accessit. unde Richerium antistitem casinatem, cum aliis proceribus, ad Italiae principes oratorem misit, ut eos ad ineundum secum foe-

(1) Tabular. Episcop. Luc. ✠. O. n.° 32.

dus contra etruscum regulum pertraheret: qui supra veteres iras captivitate conjugis exasperatus, in Germaniam ad turbas ciendas se contulerat, et una cum Balduino fratre Belgarum regulo in armis erat. Henricus trepidis de Belgarum defectione nunciis sequenti anno Italiam deseruit. nec multo inde sive ex animi aegritudine concepto morbo, sive caelestium irarum ultione excessit, anno aetatis nono, et trigesimo, Henrico filio quinquenni puero, sub tutela matris Agnetis, regni haerede relicto. qui deinde imperium assecutus ingentes tumultus romanae ecclesiae concivit. Defuncto Henrico Beatrix, lenibus semper novarum dominationum initiis, e custodia emissa, simulque cum Godefrido in gratiam recepta, Victore II. Leonis successore conciliante, qui morienti imperatori assederat, revertensque in Italiam, utrumque comites habuit. Victoris morte, quae in sequenti anno contigit V. Kal. augusti Florentiae, Godefridi ac Beatricis res, in magnum fortunae locum venere. et majus fastigium parabatur, nisi ex regulo Etruriae ne caesar et augustus fieret, fraterni sacerdotii brevitas obstitisset. Nam ubi Victorem decessisse Romae auditum, continuo in Fridericum Godefridi germanum, animi oculique omnium conjecti. re-

gius natalium splendor, fraternae opes, gesti aeque ac spreti aulae romanae honores, innocentiae fama, studia hominum illi conciliabant. tantoque dignior eo fastigio videbatur, quanto invitus favoris sui auram acciperet; venientemque fortunam, insigni modestia in alios declinaret. itaque magno consensu, Stephani IX. appellatione pontifex maximus renunciatur. intra breve temporis spatium praesul Casinas, cardinalis, et rex sacrorum. fatis illi omnia decora festinantibus, quae eadem festinatione mox raperent. Nam, dum magnarum cogitationum plenus, Graecorum Ecclesiam Latinae conciliare; imperium Henrici morte vacuum, ejusque filio tantae moli impare, in Godefridum fratrem transferre parat; ob eamque caussam in Tusciam proficiscitur, Florentiae morbo subsistere coactus, octavo sacerdotii mense decessit: clara sanctimoniae fama, quam etiam caelestia prodigia commendavere. Plures Lucensibus erga illum amoris causae. Nam et praesentem aspexerant: virtutesque illius ex propinquo hauserant. dum novam aedem in D. Georgii honorem, liberalitate Henrici ac Rolandi nobilium lucensium, paulo ante extructam; ac Casinati asceterio dono datam, ut ejus loci antistes inviseret: lucensemque ecclesiam, Joannis morte viduatam, Anselmo Ba-

dagio regendam committeret: viro ejus aetatis clarissimo, qui paulo post summum sacerdotium, eximiis virtutibus adeptus, non minore gloria tenuit. Nam quae de Uberto Podio, et Ubaldo Obicio e lucensi nobilitate in senatum a Stephano adlectis traduntur, leviora ad fidem sunt destitutione antiquitatis. Nec nos propterea, clarissimarum familiarum decori obviam imus, quarum solida gloria, ornari falsis non postulat. Immaturo Stephani obitu lucensium regulorum spes accisae. itaque peractis justis funebribus, Lucam ad componendas res, eorum absentia turbatas, regressi. Sed non diu quietis esse licuit. Nam properis Agnetis augustae, et Henrici regis literis, Godefridus iterum Florentiam accitus, ut Gerardo ejus urbis antistiti, in summi sacerdotii adeptione suffragaretur. utrumque voti compotem fecit. Nam Gerardus, eo annitente, pontifex Nicolai II. nomine renunciatus est: qui Romam quoque, alterius pontificis vitio creati factione occupatam, Godefridi ope recepit. Ibi Joannis adulterini pontificis abdicatione, Nicolaus compositis rebus, animum sanctioribus curis intendit. ratusque faciliorem vulgi disciplinam fore, si sacerdotum mores emendarentur; ei curationi Anselmum Lucensium praesulem, ac Petrum Damiani, pri-

sca severitate ac sanctimonia insignes praefecit, primoque in Insubriam, inde in Germaniam, disciplinae restituendae destinavit. ab ea legatione Anselmus Lucam reversus, inter alias dignas sacerdote curas, illi in primis animum adjecit, ut religioni, quae sacrorum hominum injuria obsoleverat, externum quoque splendorem ac majestatem redderet. Itaque cum basilicam martinianam, ubi sacerdotii sedes est, pro antiquitate, et divitiis urbis, non satis augustam reputaret, vetere disjecta, novam a solo excitare aggressus est ea amplitudine ac magnificentia quam nunc videmus, quadrato saxo, camerisque ingentium pilarum fulturae incumbentibus opere non ad veterum graecorum aut romanorum artificum formam exacto, sed ad eam, qualem Gothorum, ac Longobardorum barbarie corrupta ingenia Italiae invexere. tamen, tum jactis molibus, tum arctis saxorum compagibus, adversus jam senum saeculorum vetustatem, motusque terrarum invictum opus: marmoreis tantum simulacris, e fastigio vi tempestatum dejectis. Tantae moli aedificandae suffecere novae marmorum fodinae, in eum usum veluti divinitus repertae in montibus ad meridiem sitis, qui Lucam Pisasque interjacent: ut minore candoris gratia, ita duritia lapidis, lunensibus

praeferendae. in eo opere aedificando, mira lucensis populi liberalitas fuit, cunctis certatim aes ac stipem conferentibus: ut qui eam praesens oculis hauriebat vetus auctor; magnificentissimi regum studio in templo extruendo, parva magnis aequando comparaverit. Sed prae caeteris, Lamberti ac Blancardi germanorum fratrum magnificentia insignis extitit: quorum alter, in ea basilica seniorum, alter ministrorum princeps erat. adeo ut non tam Anselmo aut post Alexandro, quam illorum liberalitati, tanti operis molem Leboinus lucensium rerum antiquus scriptor tribuerit. fama est, nullo satis certo auctore, in eam aedificationem, quinadena aureorum millia erogata. summa iis temporibus ingens, nec praesenti auri argentique vilitate aestimanda. Opus decem annorum spatio absolutum. coeptum quippe anno MLX. dedicatumque MLXX. ut suo tempore memorabimus. Praefuit ei, aedificando e monachis, cui nomen Facio: cujus industriae tantum ea aetas tribuit, ut ei statuam in exteriori templo, ad septentrionem locaverit, pecuniarum quas dividere operis solebat, loculos manu praeferentem. unde nummorum inopiam excusantibus, vulgari proverbio locus (1). Dum Anselmus templa Divis extruit, moliebatur illi interea melior fortuna gradum,

(1) Ci vorrebbe la borsa di fra Fazio.

quo altius fastigium scanderet. Nam cum Nicolaus, brevi duorum annorum ac sex mensium sacerdotio potitus, Florentiae decessisset; comitiis per factiones ac studia turbatis, ut jam res prope civile bellum et arma esset: dum quidam caesaris partium et morum corruptelae dissimulantem, alii severum et incorruptum pontificem contendunt, Ildebrandi opera, qui tum in aula romana potentissimus erat, Anselmus renunciatus est: quam corpore tam animo procul ambitione. Comitiis peractis honorifica ad novum pontificem Lucam legatio destinata. quae simul fortunae suae illum admoneret; simul oraret, ut delatum honorem accipiendo, publicum Dei hominumque consensum, voti compotem faceret. Abest Luca duorum ferme stadiorum spatio humili jugo collis, unde in subjectos campos urbemque ipsam amoenissimus longe lateque prospectus aperitur, cujus crepidinem, jam minorum aquarum collectione tumidus, Aesar alluit, ac non spernendi operis ponte transmittitur. In summo vertice templum extructum erat, manetque ad hanc diem, cui dedicando Anselmus operam dabat, cum legati ab urbe Roma profecti, Lucam intravere. Fama eorum adventus causaque, ut solet, strenue per urbem vulgata, ingens, ut par erat, laetitia omnium ani-

mos incessit, omniaque festo tumultu fervebant: aliis alios praevertere, tantique facti conscientiam ignaris tradere gestientibus. concurrunt frequentes, circumsistunt legatos: nec semel audire contenti, sciscitando animum exsatiant. Tum magistratus, cultu habituque honoris insignes, una cum legatis, ac infinita populi multitudine portis egressi, ad flumen collemque iter instituunt. descendentem peractis dedicationis caeremoniis Anselmum, ad ripam fluminis obvium, legati ad ejus pedes advoluti, pontificem maximum, ac totius orbis terrarum parentem salutant. Attonitum ac rei novitate stupentem, qui missi ad eum fuerant: « consensus, inquiunt, Anselme, superum hominumque, te e lucensi, in orbis totius sacerdotium, hoc est, in terrarum Deum elegit. et tu quidem nunc primum optimus maximusque appellari incipies; sed, quod paucis contigit, multo ante jam eras quam dicereris. ante tibi suffragium virtus, quam patres tulere: illique dum in consilium irent, famae gloriaeque tuae praerogativam, ducem habuerunt. amittet Luca patrem invita: imo rebus humanis commodabit. sed gloriari poterit, quod tibi ad orbis imperium rudimentum fuit. Quantum in te uno spei mortales posuerint, hinc discere potes, quod te, no-

» vo exemplo, non expectata caesaris auctorita-
» te, in hoc fastigium extulere. dignus visus
» es, qui romanum sacerdotium, longa regum,
» caesarumque potentia servum emancipares :
» dignus a quo sacrorum libertas inciperet. Irae
» minaeque, et fortasse etiam arma non deerunt:
» sed omnia satis provisa sunt, dum te elegi-
» mus. et gloriosum tibi erit, in ea te reipu-
» blicae tempora vocatum, ut videaris non tam
» accepisse beneficium, quam dedisse. Tu qui-
» dem Romae pontificatum, ille tibi libertatem
» debebit: et a te vere maximus esse incipiet;
» quod ante tantum vocabatur. » Haec legati.
Cunctantem, ac obortis lacrymis haerentem,
primiores circumsistunt, orantes, « pateretur
» vinci modestiam suam, fatisque invitantibus
» manum daret. coelesti id consilio profectum,
» dubitare nefas: cum nulla spe, nedum ambi-
» tione, id fastigium praesumpsisset. quaesitum
» ab honore, ambitumque ab iis qui ambire so-
» leant. divinitus eam mentem patribus obla-
» tam: nec sine coeli terraeque injuria, irritam
» fieri posse ». Veris victus, sublato in coelum
vultu quod sibi, ac reipublicae christianae feli-
citer eveniret. se vero oblatum honorem ac-
cipere, ac Alexandrum deinceps futurum pro-
nunciat. quod ubi a proximis exceptum ma-
navit in caeteros, ingens plaudentium ac fau-

sta acclamantium fragor sequutus est: quem subjectae valles, ac ripae fluminis resultantes auxere. Fama est, quam ex longinquis temporibus, per manus traditam, rerum nostrarum scriptores, literis sancivere, illum ad ripas fluminis progressum, alveum intrasse, manibusque, quantam capere poterat, arenae vim sublatam in ventum sparsisse, professum, iis qui aedem a cujus dedicatione redibat, anniversario inaugurationis suae die adiret, piacularium annorum parem arenae numerum indulgere. manet apud posteros ejus facti fides: certoque die, adeuntis populi frequentia, id templum ad hanc usque memoriam celebratur. ea solemni pompa Anselmus in urbem exceptus, in quam tanto augustior et major, quam paulo ante excesserat, revertebatur; in ea usque ad XVII. Kal. Ianuarii ejusdem anni substitit, ut ex ejus actis colligitur: atque inde Romam, magno Lucensium comitatu contendit: ubi inauguratus coronatusque, Alexandri. II. nomen accepit.

Ea fama in Germaniam perlata, caesaris animum vulneravit, reputantis jam sine augustorum suffragio legi pontifices, summumque sacerdotium, jam diu caesarum potentia oppressum, sui juris mancipiique factum esse. frementibus praecipue qui regum ingenia versa-

re assueti, religionem majestatemque sacerdotii, in privatum quaestum vertebant: quia irae per se satis acerbae, sacerdotum arte magis incendebantur: quibus suspecta Alexandri sanctimonia, nec eorum licentiam latura videbatur; quare nil propius factum, quam ut habito Basilaeae sacerdotum conventu, consilio praecipue Giberti Corrigiae, Cadalous Pallavicinus Parmensis antistes, in pontificem maximum Honorij II. nomine, caesaris auctoritate legeretur. Sed auxilio in primis Mathildis Lucensiumque Alexandro imperium mansit. Qui Roma per aestatem insequentis anni Lucam reversus, urbem praesentia sua laetam fecit: pacatis etiam discordiis civilibus, quae non satis certa causa exarserant. habuit quoque Mystarum regionis totius conventum, cui sex majores pontifices interfuere una cum Stephano cardinali; in quo praecipue Erithae virginum D. Salvatoris antistitae causa acta; ejusque innocentia a calumniis vindicata. contulit etiam pontificis adventus, basilicae martinianae coepto operi maturando; quod, ut ante memoravi, ejus cura extruebatur. Luca Romam iterum insequenti anno regressus, licet corpore absens, animo tamen cum Lucensibus erat. quorum amore, in tantum sancti senis pectus fervebat, ut novo exemplo, una

cum orbis sacerdotio lucense retinuerit: addita in iis quae ad lucenses scriberet literis, lucensis episcopi appellatione. quo studio, tum sacrorum hominum, tum principum civitatis, majestati augendae, indulsit, eo qui successit anno Lucam reversus, ut magistratus lucensis, venetorum principum more, plumbea bulla in diplomatibus uteretur: quam DD. Petri ac Martini iconibus antiquitus insculptam ferunt carmine ad oram inscripto, quo urbis potentia, ac sternendis hostibus virtus notabatur: quod aut non inductum in mores, aut posterum incuria abolitum. Majori autem basilicae martinianae collegio, albas infulas dedit, quo insigni capitis inter sacra uterentur. scribit etiam Ptolemaeus, annalium nostrorum antiquus auctor, ab eodem lucensi antistiti concessum, ut in re divina orario albo crucibus pullis distincto quod pallium vocant, uteretur: eique incedenti crucis vexillum praeferretur. quae decora, sive ab eo primum profecta, seu deinde Callistus II. et Lucius III. dedere, adhuc lucensi sacerdotio manent. utque aeterno splendori, vitae sanctitas responderet, in id praecipue curas intendit, ut ad veterem disciplinam, soluti illorum mores corrigerentur, ne cultiora animis corpora essent. Insequenti anno, Mantuani conventus oc-

casione, Lucam Alexander iterum revisit: magno cum honore a civibus exceptus: in eaque ultra duorum mensium spatium substitit, quod ex ejus actis colligitur. Ubi legatos Gulielmi Normanniae reguli, quem Odoardus Britanniae rex, sine liberis decedens, haeredem regni instituerat excepit: vexillumque ceremoniis ante inauguratum eis tradidit, quem regulus in praelium adversus Haroldum, qui per vim regium nomen invaserat, deferret. discedentem Luca Alexandrum, Mantuam usque flos lucensis militiae deduxit, tutelae simul ac decori parenti optimo futurus. Mantua redeuntem Luca iterum Alexandrum complexa quinque mensibus detinuit, regulorum sacerdotumque comitatu stipatum. quod spatium colligendo a praeteritis laboribus animo reficiendoque lucensium suorum consuetudine, a sancto sene impensum, dilectae urbis domicilio, quibus premebatur, christianae reipublicae curas allevante, in qua illius amores versabantur: quo tempore Beatrix una cum Mathildi filia, tuscique imperii domina Lucae diversata est, ut ex actis colligit Florentinius. Eo qui sequutus est anno, Mathildis jam maturae virginitatis, tradita in matrimonium est Godefrido, quem et Gozelonem vocitabant, Lotharingiae regulo, Godefridi illius filio, cui

Beatrix, ut ante memoratum est, post Bonifacium nupserat. quamquam, ut aetatis ejus fama tenuit, exceptis mariti uxorisque nominibus, nullus ejus conjugii usus extiterit. quod idem de secundis nuptiis, quibus Guelpho Mathildis deinde juncta est, traditur: post geminum matrimonium, usque ad extremum spiritum floris intacti. Laetus insequens annus civitati exortus est; quo martinianae basilicae jam peracta mole, quae decennium aedificatione occupaverat, Alexander pontifex Lucam reversus, magno antistitum praesulumque aliorum, ac principum numero, eam solemni ritu pridie nonas octobris dedicavit. qui dies in ejus facti honorem inter festos usque ad nostram memoriam studio posteritatis cultus. ingentem non e vicinis modo urbibus, sed etiam e longinquis regionibus, ipsaque Gallia transalpina multitudinem ad eam celebritatem confluxisse, memoriae proditum est. Sed inter caeteros proceres, qui praesentia sua eum diem honestavere, maxima civis, eademque domina Mathildis, Beatrixque mater eminebant. quae etiam praediis in novi templi cultum attributis, pietatem suam approbavere. augendae quoque novae basilicae venerationi, Alexander Roma secum advecta divorum Iasonis et Mauri, parentisque illorum Hilariae

ossa in eam intulit. non parvum olim tuendae libertati praesidium, ut suo tempore memorabimus. illius etiam memoria per manus tradita munus fuisse perhibetur Alexandri I. pontificis maximi corpus: quod in aedem quadrato marmore a se extructam, idem Alexander suis manibus intulit una cum ferreis vinculis, quibus olim sancti sacerdotis membra constricta fuerant; quae ad hanc diem indubitata prodigiorum fide coluntur. Ejusdem Alexandri studio basilicae angelorum in lucensi foro, anteriorem partem extructam, quidam nostrorum scripsere: aliis atque aliis columnarum ordinibus, in excelsum fastigium ejus aetatis opere, assurgentem. quae basilica annis CCXI. ante Alexandrum, Triphontii cuiusdam liberalitate, e lunensi marmore extructa: inde anno MCXLII. restituta: mox Paulo Guinisio imperante, columnis exterioribus ad meridiem, ac septemtrionem ornata, veteris magnificentiae documentum manet. Digressum lucensi urbe Alexandrum Roma, inde Casinum excepit: templo celeberrimo illius asceterii dedicando, a monachis loci incolis invitatum. unde dilectam Lucam, ultimo eam visurus, insequenti anno iterum rediit. Nec Mathildis, Beatrixque abfuere; cum quibus de coercenda Henrici regis licentia, nullo sacrorum profanorumque

discrimine, in Germania omnia miscentis, pontifex egit: statuitque, iisdem probantibus, quamquam sanguine regem contingerent, acribus remediis insistere, cum lenia parum profuissent. inter quas curas Romam reversus, senio jam gravis, animique non minus, quam corporis laboribus confectus, magno totius christianae reipublicae, sed maximo Lucensium luctu, quos tantopere dilexerat, sanctus senex X. Kal. Maii extinctus est: cum annis XI. mensibus VI. diebus XXV. regnasset. ejus funus anniversario luctu in basilica martiniana, post annos decem supra sexcentos, ad hanc diem celebratur. quamquam ea virtutum laude floruerit, ut de eo consecrando agi posset. Acerbum de Alexandri morte vulnus relictus antistes civitati Anselmus, eodem sanguine genitus, nominis non minus quam sanctimoniae haeres, non parum leniit. cum cives mutatum, non amissum Alexandrum, in egregio successore arbitrarentur. Alexandro suffectus est Ildebrandus Gregorii VII. nomine: invicti animi constantia, vitaeque sanctitate, maximis optimisque pontificum adscribendus. asserta praesertim, non in praesens modo, sed exemplo in posterum contra regum caesarumque vim, romani sacerdotii majestate. Praecipua frangendae Henrici IV. imperatoris contumaciae,

Gregorio adiutrix Mathildis: quae una cum parente Beatrice, nunc leniter superbum juvenis animum tractando, ad sanitatem revocare, obnoxiumque pontifici reddere, nunc ruptorem foederum, violataeque pacis reum, bello et armis persequi, non omisit: clarissimis quoque de eo victoriis reportatis. Nec tamen principatus Mathildis obstabat, quin libertate, ut dixi, paulatim adrepente, proprios magistratus cives crearent. perque haec tempora, prima consulum mentio publice invenitur; qui etiam patrio vocabulo, quod induciarum iis potestas esset, Treguani appellabantur: jusque ad D. Sentii aedem populo reddebant. Inter quae Beatrix, senio curisque principatus fessa, Pisis decessit: non minus rerum gestarum gloria, quam Mathildi filia ad famam posteritatis insignis. A matris funere, Mathildis vix detersis lacrymis, pacandae inter pontificem caesaremque discordiae, virilem animum adjecit. Gregoriumque Roma profectum, Canusii primum, dein Lucae excepit. Exarserant quoque inter Anselmum civitatis antistitem, sacerdotesque basilicae martinianae non leves irae: dum ille corruptos eorum mores emendare studet; illi severioris disciplinae fraenum detrectant: quae cum pontificis auctoritate finiri posse viderentur; inde inter cae-

teras causas, principi feminae consilium, Romam redeuntem Gregorium, in civitatem inducendi. aegris eorum animis curandis manum pontifex admovit: sed jam ulcus tam alte descenderat, ut vix igne ferroque sanari posset. itaque Romam regressus, cum ad frangendos eorum spiritus, objecta dirarum religione, Gregorius veluti novissimum telum exeruisset; caeteris contumaciores, tumultu excitato, caesarianorum factione adiuti, Anselmum Luca expulere: in ejus locum Petro quodam, qui praecipua discordiarum fax extiterat, contra jus, fasque suffecto. Dum haec in urbis dedecus seditiosi moliuntur, in diversa parte terrarum sancti civis virtutibus Lucensium gloria elucebat. quem per haec tempora rebus humanis exemptum, Cavae Picentinorum urbe prope Salernum, veteres annales prodidere. Leo hic erat, qui Lucae ortus, cum se forte in ea loca contulisset; Alferio celebris sanctimoniae viro haesit: professusque Cluniacensium ordinem, eo magistro tantum profecit; ut vivens mortuusque, eximiarum virtutum documentum, prodigiis claruerit: unde ei tamquam divo coelestes honores habiti. Veterum saeculorum judicium posteri approbavere: cultusque ejus nomini, post annos DC. usque in hanc diem durat. Is qui sequutus est annus,

christianae reipublicae funestus illuxit: Henrico imperatore in eam vesaniam abrepto, ut contra Gregorium, Brixini Noricorum urbis, coacto sacerdotum concilio, Gibertum olim ravennatem antistitem, Clementis nomine pontificem maximum renunciandum curaverit: pestilentem hominem, et alias seditionis, aliorumque criminum praejudicio damnatum. corripuit ea religionis labes multos Italiae populos, specioso caesarianarum partium obtentu: quotquot corruptis moribus, ac disciplinae impatientes novo pontifici se se adiungentibus. nec intacti ea Lucenses fuere. praecipue postquam Henricus, in Italiam cum exercitu transgressus Lucam venit. unde Anselmi hostibus tumultuandi ausus, eumque in exilium pellendi, ut ante memoravimus. quo tempore eum Lucensibus tamquam, factionis suae fidis, concessisse, ne veterum murorum moles everterentur, in antiquis annalibus reperio. utque libertati eorum consuleret, quae ut in aliis Etruriae urbibus, ita Lucae paulatim adolescebat: vetuit ne regia aut imperatoria domus castellumve aut munitio alia, intra sex mille ab urbe passus extrueretur. Sed Henricus post acceptam ad Sorbariam in mutinensi, a Mathildis exercitu cladem, in Germaniam reverso: cum illa amissam in ea regiorum armorum procel-

la, Liguriam Etruscasque civitates, quae ab ea defecerant, recepisset; Luca iterum imperium illius accepit. Sed non diuturnum illius victoriae gaudium Mathildi fuit, extincto paulo post Gregorio, quem et vivum uti parentem coluerat, et mortuum piis lacrymis flevit: quem luctum non multo inde Anselmi lucensis sequuta mors integravit. cujus sacris funebribus Mantuae femina princeps, cum magno purpuratorum antistitumque numero interfuit: quos in eam urbem coeleste consilium adduxerat, ut fortissimo ecclesiae romanae propugnatori, novissimum illud mortalitatis officium, in triumphi potius quam funeris morem praestaretur. corpus in basilica principe sepultum, post annos prope DC., ad hanc diem incorruptum, magna adeuntium veneratione colitur; quiescenti placide quam mortuo similius. cujus sancti viri placatos urbi nostrae manes, exiliique ac injuriarum immemores, si quid patrius amor apud coelestes valet, nimium optaverim: utque tam patronus tutorque Lucensium esse velit, quam olim proscriptus et exul. Gregorio, brevi sacerdotio Victor, Victori Urbanus II. successit: quo tempore, Lucae nonnulli armorum motus extitere. quippe cum nobiles, qui oppido ad pisani montis radices, cui nomen Vacculo, imperitabant, iras

populi meruissent: Lucenses eo per vim potiti, direptum ante, solo aequavere. per idem tempus Mathildis, priore viro defuncto, Urbani pontificis jussu, quo adversus Henricum imperatorem firmior esset, Guelphoni Noricorum regulo nupsit. Unde caesaris in eam irae, iterumque in Italiam transitus. qua in expeditione cum vastatis late agris Mantua potitus esset, tandem a Mathildi praelio victus, regio etiam vexillo amisso, quod veluti trophaeum in D. Apollonii templo, Canusii a victoribus suspensum est; Conradi filii defectione, aliisque praeterea difficultatibus implicitus, eo desperationis redactus est, ut etiam de consciscenda sibi nece agitaverit: inops ingloriusque trans alpes regredi coactus.

Interea Urbanus pontifex, magnarum cogitationum plenus, liberandis a barbarorum servitute sacratis Palestinorum terris, conventum sacerdotum, ad Claromontem Arverniae oppidum, veteris Gergoviae ruinis extructum, indixerat. in quo celebris illa expeditio, ex Europae totius flore, Godefrido Bulionio duce decreta est, tot claris ingeniis memorata. una cum caeteris auxiliis, e Mathildis imperio, Genuenses Pisanique cum magnis navium classibus adfuere: inter quos plures Lucensium, sacra arma in id bellum sumpsisse reperio: (1)

(1) Nig. in histor. belli sacri N. 27.

quos una cum Mutinensium, Regiensium, ac Ferrariensium copiis, Othoni mediolanensi e Vicecomitum gente, Mathildis ducendos tradiderat. Reversus e Gallia in Italiam Urbanus, vacuam recessu Henrici, quem una femina tumidum summoque sacerdotio minantem, victoriis fregerat; cum aliquandiu in Cisalpinis cum Mathildi substitisset, inde in Tusciam descendit, Lucamque invisit. In qua urbe Hugonem Philippi Francorum regis fratrem, cum gallicae nobilitatis flore, ad sacrum bellum proficiscentem excepit. Luca Romam, atque inde in Apuliam, Barensi conventui habendo se contulit. unde Romam iterum regressus, in ea quoque urbe concilium sacerdotum habuit: in quo Rangerii lucensis antistitis libertas aequitati tuendae insignis extitit: cum veluti afflata divinitus mente, non paratus meditatusque, ipsum pontificem morae in litibus finiendis increpuit. Is qui successit annus, Urbani pontificis morte funestus extitit: qui in ipso victoriae articulo, liberataeque Palestinae gloria decessit: posteris ejus expeditionis fama, aliisque rebus praeclare gestis, aeternum memorabilis. Pisae quoque hoc anno, incendii, quo Chinsica fere universa absumpta est, cladem sensere. nec Lucenses malis omnino intacti egere: discordiis inter basilicae martinianae majoris collegii sacerdo-

tes, ac Guidonis Ildebrandini filii domum, iis temporibus praepotentem exortis. quae tamen Mathildis sapientia compositae. quippe cum martiniani sacerdotes, arcem Montimagno, cui ea familia imperitabat, imminentem, adversus eorum injurias extruxissent, pace sancita, eam solo aequari placuit. Urbani mortem, cui Paschalis II. successit, Giberti funus, quem falso nomine sui Clementem appellitabant, insequutum est; eum inexpiatum, sacrisque amotum, perfidiae suae immortuum, Paschalis jussu refossum tradunt, ejusque ossa in profluentem Tyberim projecta. Longe feliciori mortis genere, defunctus est per idem tempus Landuvinus: qui Lucae ortus, Brunoni instituendo carthusianorum ordini comes fuerat: ejus sanctimoniae aemulus, primusque ab eo toti ordini regendo supremus antistes. quem nonnulli in vinculis extinctum, in quae a Giberti factione conjectus fuerát, squalore inediaque confectum, prodidere: aliis post receptam libertatem, fato functum affirmantibus: illud certe in ea varietate indubitatum, religionis causa eam calamitatem perpesso, illustris testimonii coronam non defuisse. Idem annus Lucensibus duplici victoria, ex domesticis externisque hostibus felix fuit. Arcem tribus ferme ab urbe passuum millibus, in edito colle, cui Castanoro nomen

est, ex eorum temporum more nobiles quidam tenebant, Catani, quae dynastarum communis appellatio erat, dicti. Hi lucensi populo superbia ac injuriis graves, illius in se arma vertere. oppidum captum eversumque: ruinis adhuc vestigia illius monstrantibus. Arma in suos mota, eodem victoriae impetu, Lucenses in externos tulere (1), renovatoque in Pisanos bello, IV. idus decembris, Vechianum montis dorso ad Aesarem flumen impositum adorti; quamquam Pisani celeriter flumen vado tranantes, laborantibus opem ferre tentassent, illud in eorum oculis captum solo aequavere: oppidanis universis, longa reste simul, ad majus ludibrium colligatis, Lucamque perductis. cujus facti a Pisanorum annalibus praetermissi, in basilicae martinianae tabulario memoria extat. Sequutum triennio post, in suburbano ad D. Frigdiani incendium, pisanum bellum proximo anno iterum excepit: quod annos quinque utrumque populum exercuit. conflixere primum, per initia mensis augusti, ad Librafactam lucenses, pisanaeque acies: cumque praelio lucensis res superior fuisset, captum oppidum, incolaeque captivi Lucam deducti: ut ex actis Ptolemaeus gravis auctor tradit. Ea jactura moti Pisani, collecto exercitu se in ultionem comparavere:

(1) Ptolem. Lucens.

unde insequenti anno renovatum bellum. Lucenses victoria elati, tum etiam Henrici imperatoris beneficio, receptis rebus, quas superioribus per Etruriam bellis amiserant, cum hostibus occurrissent, praelio apud Avanem Kal. junii commisso, illos vicere. nonnullis captis, inter quos Vago vicecomes in potestatem nostrorum venit. Guntolino Lanfranco dum fuga Aesarem trajicit gurgitibus hausto. aliquot secundum eam pugnam diebus, utrinque cessatum. donec IV. idus julii, signis iterum ad vicum cui Cappella nomen est, collatis, Pisani rursus fusi fugatique: Teuperto, atque Ugone Dedi filiis e principibus; quam plurimis e vulgo captis. quibus cladibus Pisani nequaquam animo fracti, delato armorum imperio Alberto comiti pratensi, Massam usque temere progressi, primo praelio caesi captique. Sed nostros spoliis captivorumque multitudine impeditos, Albertus in reditu ex insidiis adortus, trepidationem fugamque repentino impetu fecit. Verum illi resumpto spiritu, cum signis conversis, pugnam denuo instaurassent, tantum hostibus terrorem injecere, ut per abrupta atque invia Juliani montis, qui Pisas Lucamque, pari ferme spatio interjacet, passim fugam arriperent. quos usque ad Aquas Pisanas, sub radicibus montis nostri assequuti, quamquam desperatis rebus

acerrime pugnantes, insigni clade fudere. praeter ingentem militaris vulgi numerum, XXXVII equitibus captis, ac praeterea Alberti comitis legato, quem Vicecomitem appellabant; ut proinde, vetustis eorum scriptoribus rem silentio prementibus, non satis mirer, in annalibus Pisanorum recens editis legi, Lucenses a Pisanis ter acie victos (1), non temporibus, non locis, non captivorum nobilium nominibus designatis: quae omnia apud antiquum scriptorem in Tabulario basilicae martinianae expressa, majus momentum ad fidem habent. Moram nonnullam Lucensium Pisanorumque armis injecit Paschalis pontificis in Etruriam adventus; quem hoc anno per initia novembris mensis Lucae fuisse, ex ipsius literis constat, quibus D. Frigdiani sacerdotum, sanctius vivendi genus apud eos institutum probavit: quo non Etruriae modo, sed Italiae toti, sanctimoniae ac disciplinae documentum erant. quare biennio post, religionis eorum fama Mathildis mota, aedem ad Frisonariam (id pago nomen) jam inde a D. Frigdiano extructam, vetustate collabentem restituit. quam deinde incolarum sanctitate celebrem, Marcualdus Malpilus illustris eques lucensis, anno MCCLIII vitio antiquitatis iterum

(1) Hughell. Tom. 3. in fine.

fatiscentem, a solo construxit. Neque hoc anno tantum Paschalis Lucam praesentia sua nobilitavit, sed duobus post annis, cum iterum in Etruriam venisset, Lucae substitit: ubi suburbanum Alexii templum dedicavit; et anniversario ejus Divi festo die illud adeuntibus, denum annorum piacula in perpetuum indulsit, ut vetus lapis, ad ejus templi fores, sacrosanctae antiquitatis monumentum, adhuc testatur. Interim inter Lucenses Pisanosque bellum ardebat. quod demum biennio post Henrici V. imperatoris in Italiam adventu sublatum est. Successerat is Henrico patri, ante annos quatuor suae impietati immortuo: sinistra nominis sui, ob vexatam religionem, fama relicta: cum suscipiendis de manu pontificis maximi imperii insignibus, simulque italicis rebus pacandis, in Italiam hoc anno transgressus est, ut acta Lucensium, antiquis scriptoribus consona, fidem faciunt. Quo itinere cum Lucam Pisasque intrasset, jam diu dissidentes nobilissimos Etruriae populos, imperatoria auctoritate composuit, pace inter eos firmata (1). ob eam rem haud dubie laudandus, nisi egregii facti meritum, turbata patris exemplo religione, pontifice capto ac in

(1) Cronic. Pisan.

custodia habito, injustisque pactionibus per vim extortis foedasset. nec ea re tantum Lucensibus propitium se Henricus praebuit: sed illorum civem Mathildim Liguriae administratione auxit: quam parentis nomine ac veneratione habitam, pro rege eam provinciam regere jussit. Interim Pisani, pace cum Lucensibus sancita, Paschali pontifice per legatum adhortante, navalem expeditionem in Baleares comparabant. Eas insulas in Mediterraneo ad oram Hispaniae sitas, una cum Ebuso tenebant Saraceni, unde piraticis classibus, non Hispaniae modo Galliaeque maritimam regionem, sed Etruriae quoque infestabant. quod Pisani, qui uni e Tusciae populis, navali gloria insignes erant, indignum rati; tum sua tuendi, tum proferendi imperii cupiditate, CCC. navium classe, suis sociorumque opibus instructa Petro, Pisarum antistite pontificis maximi legato, totius expeditionis duce, per haec tempora pisano portu solvere. uni e populis Etruriae Italiaeque, Romanis exceptis, arma cum Pisanis Lucenses sociarunt(1): cum Genuenses, seu vetere aemulatione, seu temporibus ipsorum ita ferentibus, opem negas-

(1) *Romaque cum Luca mittit solatia pugnae*. Laurent. Veronens. lib. 1. belli Balearic.

sent. Inter eos, qui e Lucensibus in auxilium Pisanorum adfuere, ab ejus belli scriptore Fralmus praecipue memoratur: qui civibus suis taedio maris ac locorum longinquitate motis, perque animi elationem alienis auspiciis aegre militantibus, reditumque in patriam turbulente flagitantibus, objectu famae gloriaeque, quam ejus victoriae societate nomini suo quaererent, eam seditionem placavit. Ab eodem scriptore Holebrandi lucensis casus narratur: quem contumacis equi impetu in Rhodanum effusum violentisque fluminis gurgitibus haustum, multis sociorum defletum lacrymis, Arelatenses insigni funeris pompa extulere: ipso civitatis antistite exequiarum honorem prosequente. quo magis miror Villanum, ac pisanorum annalium scriptorem literis prodidisse (1), Lucenses captata Pisanorum absentia, urbem agrumque pisanum invasisse: Florentinosque auxilio fuisse, quo minus illi detrimentum caperent: ob eamque causam, duabus columnis ex lapide porphyrite, inter spolia barbarorum relatis, a Pisanis donatos: quas tamen illi ante, insigni malignitate, fumo corruperint. unde locum veteri proverbio factum, ut Florentini orbi luminibus diceren-

(1) Jo. Villan. l. 4 c. 30 Chronic. Pisan. apud Hughell.

tur. qui enim fieri potuit, ut iidem et auxiliares et hostes essent: eodemque tempore, mari Pisanos juvarent, terra invaderent? cum eadem causa utramque urbem robore virorum exhausisset, tam Lucensibus ad invadendum, quam Pisanis ad obsistendum invalidis. Laurentii quoque veronensis, qui haec oculis spectavit, auctoritate majoris ad fidem momenti, quam Villanii, aut aliorum, qui procul ab eorum temporum memoria vixere (1). Consentiunt iis, quae hactenus memoravimus, veteres tabulae apud nostros, quibus a Lucensibus in ea expeditione Pisanos adjutos traditur (2): idque consulum jussu, qui tunc temporis magistratum gerebant: perhibenturque fuisse Schiatta Bonifacius, Gallus Chermundus, Rolandus Ghirfendus, Overardus Gerardus, et Guidottus Denajolus: ut jam tota, Pisarum a Lucensibus Balearico bello oppugnatarum, fabula corruat. Illud etiam adnotare visum, hanc expeditionem ab aliis in alios annos rejici. Nos inscriptionis massiliensis fidem sequuti in hunc annum contulimus, parvo pisanae alterius discrimine, quae in sequentem refert: quae varietas inde fortasse orta, dum alii

(1) Laurentius Veronens. de Bello Balearico: apud Hughell. T. 3.
(2) MS. in Tabular. Episcopat. A. B. Num. 18.

apparatum, alii coeptum, alii denique confectum bellum victoriamque respiciunt.

Ingentem, non Lucensibus modo, quibus et civis et domina auferebatur, sed toti christiano orbi luctum, insequens annus tulit Mathildis morte: quae longa septem mensium valetudine ad maciem extremam redacta, IX. Kal. augusti extincta est, apud Bondenum ferrariensis agri oppidum, anno aetatis sexagesimo nono. exitu haud immaturo, si immortalitatem meriti sero unquam morerentur. quippe in eam feminam, si hoc illam nomine appellare fas est, quicquid magni ac praeclari, virtus aut fortuna habent, certatim congesserant. Vetus familiae splendor, ac innexa regum caesarumque sanguini domus: imperium per Etruriam, Galliam Cisalpinam, Aemiliam Liguriamque prolatum, paulo infra reges. ingenium illi animusque supra viros; pietas ac religio, etiam supra feminas. tot populis una jus reddere; ea aequitate, ut nemo principem; ea clementia, ut nemo matrem in illam desideraret. eadem pacis, eadem belli artibus instructa: ita otii et tranquillitatis amans, ut temporibus serviens, etiam arma tractaret: quoad vixit, italicarum rerum arbitra ac magistra. Regum alios fugientes excepit, alios fugavit. Pontificum maximorum altrix; quorum plures, sanctimonia insignes, exules esse prohibuit: impios

sacrilegosque in exilium ejecit: pia aeque et dum excipit, et dum expellit. liberalis eadem ac in aedificando magnifica: quaedam oppida condidit, alia muris ac munitionibus cinxit; aliaque publica opera, arces, vias, pontes passim construxit. praecipue templis sacrisque aedibus extruendis, censuque ditandis profusa. eximio in romanam ecclesiam studio, quam moriens patrimonii sui reliquit haeredem. pudicitia, ac sanctitate morum fuit singulari: inter repetitas nuptias flore servato; et post duo matrimonia virgo. Nec in tanta fastigii rerumque gloria, laus illi literarum ac eloquentiae defuit. Solita, nullius adjuta ingenio, gravissimarum rerum epistolas, ad reges pontificesque scribere; legatisque variarum gentium, patrio cujusque sermone responsa reddere: bibliotheca etiam condita, ubi sacrorum ingeniorum monumenta servarentur. Lucensibus praecipue memorabilis, apud quos genita ac educata, natalibus ac longo domicilio felices, caeterisque gentibus invidiosos fecit: pluribus magnificentiae vestigiis apud eos relictis. Siquidem ea imperante, urbs moenibus firmata, basilica martiniana extructa, antistites dominatione aucti, vetus Longobardorum regia restituta, Nuptianum, valida adversus Pisanorum excursiones munitio, apud Aesarem conditum: ubi adhuc illius aedes ab incolis

monstratur: ejusque imago principis habitu, ad vetus praetorium picta, usque ad nostram memoriam stetit, donec temporum, ac vetustatis injuria exolesceret. Corpus Mantuam delatum ad D. Benedicti aedem prope Padum Larionemque sepultum. Donec Urbanus VIII. pontifex maximus cineres Romam advectos, egregii operis sepulcro in Vaticano condidit, simulacro ac titulo, principis feminae in ecclesiam romanam merita, ad posteritatem professus. hanc quoque felicitatem, inter caeteras, post mortem adepta, ut ejus res gestae, tot aliis memoratae, novissime pari eruditionis ac eloquentiae gloria, in unum collectae a scriptore clarissimo, plenius uberiusque traderentur. Post Mathildis obitum, Tusciae imperium Conrado Henricus caesar detulit, sanguinis conjunctione ipsum contingenti: cujus mentio, in vetustis tabulis, apud nostros usque ad annum MCXXIX extat. Post Conradum Tusciae potitus est Henricus, Henrici augusti gener. Henrico Ramprettus successit; illi Ingilbertus; aliique, quos in tempore memorabimus. cum tamen iisdem temporibus, consules crearentur: donec omnino Tuscorum regulorum potentia exolevit: libertasque integra populo constitit. Proximo a Mathildis morte anno, cum Paschalis pontifex sacerdotum concilium Romam vocasset; antistes lucensis de occupatis per Pisanos juris sui oppidis,

graviter apud patres questus est: Pisano contra suos defendente. quare in utramque partem, utriusque populi favore, jus longa concertatione disceptatum (1). quo tempore Henricus imperator, quo sibi Lucensium animos arctius devinciret, Aesaris fluminis ostium ad liberos commeatus, ac mare, quod circa Mutronem est, iis concessit, ut Ptolemaeus auctor est. Cumque bello superiore, Pisani maritima quaedam Lucensium loca occupassent; eosque accessu maris prohiberent; quadriennio post, is quem supra dixi, Conradus Tuscorum regulus, cum in florentino agro Ponturnum oppidum obsideret, pro imperio illa reddi jussit. quod Pisani primo gravati, insequenti tandem anno, se imperata facturos promisere. externis bellis, quibus per ea tempora respublica laborabat, civiles discordiae accesserant. Jam inde a Longobardorum regno is barbarus mos in Tusciae caeteraeque Italiae urbibus inoleverat, ut lites, simultatesque inter privatos exortae, gladio dirimerentur: quasi jus et ratio viribus ac ferro valesceret. Locus ad id discrimen lectus, campus non longe a muris civitatis ad meridiem infamis erat. Quare Benedictus, qui Lucae tum sacris

(1) Baron. ad ann. 1116.

praeerat, ei infamiae abolendae, aedem D. Concordio, nominis omen sequutus, ibidem extructam, solemni ritu dedicavit: diris ac devotionibus ejus capite consecrato, qui in posterum eodem loci cum inimico conflixisset. atque ita rixarum sedes, in templum pacis concordiaeque traducta. manentque in haec tempora ad eam aedem incisae vetusto lapidi literae, hujus rei ad memoriam posteritatis documentum. Interim Paschale pontifice defuncto, qui illi successerat Gelasius II, breve turbidumque imperium nactus, in Gallia, quo se magnus exul contulerat, et ipse extinctus est. tamen in illo curarum aestu Lucensium non oblitus, cum gallico itinere Pisis esset, veteres immunitates ac privilegia antistitibus civitatis rata esse jussit. Illum etiam, ab antiquis temporibus inolitum, peculiarem martinianae basilicae morem tota urbe a caeteris templorum aedituis servari praecepit: ne scilicet ab ea nocte, quae dominicae coenae diem antecedit, usque ad sabbatum, sacro aere signum e turribus daretur (1). Gelasio sublato, Callistus regio sanguine ortus, pari natalibus animo, romanum sacerdotium obtinuit. qui pontificatum a Lucensium favore or-

(1) Tabular. Basilicae martinianae. Ptolemaeus Lucens

sus, ratum habuit, ut civitatis antistes, orario albo, pullis crucibus distincto, quod pallium vocant, jam ante ab Alexandro, Paschalique concessum, inter sacra, majorum pontificum more uteretur: se id lucensium nobilium precibus dare professus (1). Pontificum beneficentiae cumulum adjecit Conradus Etruriae regulus qui Nuptianum circumjectosque late agros, lacum paludesque, omnemque ejus regionis tractum Lucensibus consulibus remisit: unius dominatu paulatim exolescente, ac libertati populique imperio locum concedente. Is qui successit annus Honorio II. pontifice, novum equestris militiae ordinem tulit: cui templi Hierosolymorum custodia, Templariorum nomen dedit. qui ex oriente, in alia quoque regna provinciasque propagati, Lucae etiam consedere, domo, hortis, praediis, civium liberalitate aucti. quae deinde, iis a Clemente V. sublatis, ad rhodios equites, qui nunc Melitenses appellantur, transiere: hortorum parte, propinquis praedicatorum ordinis monachis attributa. Interim, quam inter Lucenses Pisanosque Henricus imperator sanxerat, pace rescissa, odiisque iterum recurrentibus, Lucenses insequenti anno exer-

(1) Tabular. basilicae martinianae. Ptolem. Luccus.

citu comparato, Aghinolphum clarum Versiliae regionis oppidum, cujus ruinae non procul Ignoso monstrantur, Pisanis ademere: Buiano etiam capto, eversoque. inter Pisanos, qui Aghinolfo capto in Lucensium potestatem venere, Rogerius Pisarum antistes fuisse memoratur (1), qui in libertatem a suis vindicatus est. Hoc anno tanta annonae vilitas extitit, ut frumenti modius sex quadrantibus, et semisse (2) aestimaretur. Idem annus et externa victoria, et clade domestica memorabilis fuit, tabulario, fortuito igne, incenso; qua clade publicae, privataeque memoriae jactura ingens facta. Calamitas longe major per idem tempus christianum orbem afflixit. Nam Honorio pontifice defuncto, cum scissis patrum studiis, plures melioresque Innocentium II. pauciores factiosique Petrum Leonis e romana nobilitate, Anacleti II. nomine legissent, omnia in armis erant. hinc Lothario imperatore pro Innocentii causa, hinc Rogerio, qui Siciliam et Calabros obtinebat pro Anacleto bellum comparantibus, Lucenses pro Innocentio stetisse, illud argumento est, quod in ipso ejus dissidii calore,

---

(1) Chronic. Pisan.

(2) Sei quattrini e mezzo.

Hubaldum lucensem, Lunatae suburbano pago ortum, in collegium cardinalium adscivit: altero etiam Hubaldo, Allucingorum stirpe, quae tunc inter principes civitatis erat, in idem collegium cooptato. nec minoris momenti ad eam fidem est, quod Lotharius, qui Innocentii causae favebat, cum in Tusciam ad eum Pisas, atque inde Lucam venisset, vetera ab Henrico privilegia Lucensibus concessa, rata esse jussit: adjecto insuper libero Aesaris fluminis commeatu, marisque ad Mutronem lunensemque oram usu, nullum horum profecto facturus, nisi Lucenses ejus partis fuissent. Nec interea hostilia inter Lucenses, Pisanosque cessabant. Phocenses ad vigesimum circiter lapidem ab urbe Luca in colle habitant, ad radices cujus Arnus flumen praeterfluit. id oppidum Ingilberto Tusciae regulo ereptum, Lucenses everterant; cum illum commisso praelio insigni victoria fudissent. ea clade fractus regulus, vulnere etiam in praelio accepto ad Pisanos se contulit. quem ab eis vindicatum, vetus Pisanarum rerum auctor scribit. Nostri Ingilbertum ex vulnere Pisis mortuum tradunt. Fusius rem gestam, immodicus gentis suae laudator Troncius narrat: aitque copiarum pisanarum adventu, oppidi obsidionem solutam, Lucensibusque inhoneste Lucam reversis, regulum rursus oppido potitum, contra Ptolemaei, incor-

ruptae fidei scriptoris auctoritatem, qui illud eversum dirutumque post victoriam, diserte memorat. Nec bello tantum eo tempore civitas laborabat; sed incendio etiam casu excitato, jam tertium in suburbiis ad D. Frigdiani basilicam deformata est. omen illius flammae, quae consequentibus annis, acrius inter Pisanos, Lucensesque exarsit: dum illi erepti Aghinolphi injuriam concoquere nequeunt, hi victoria egregia partum decus tuentur. Ante tamen quam ad arma iretur lucensis populi imperium liberalitate virorum principum auctum. quippe gemini dynastae, ex eorum numero, quos vicecomites appellabant, Ugutio, et Velter, consulibus lucensibus Corvariam, nobile in maritimis Versiliae regionis oppidum, saepiusque in Etruriae antiquitatis monumentis memoratum, cessere, cum omni circa montana, campestrique regione (1), ut eo jure ea lucensis populus possideret, quo quae optimo. Receptos quoque in civitatem, aut hoc, aut alio tempore nobiles Corvarienses, ex antiquis tabulis constat. Templumque D. Laurentii haud procul basilica martiniana, ex ejus familiae nomine appellatum, tabularum fidem adjuvat. Triennio igitur post,

---

(1) Ptolem. Lucens.

Pisani bellum Lucensibus intulere. causa Aghinolphum occupatum, injuriaeque in via, quam Francorum, seu Francigenarum veteres tabulae appellant, a Lucensibus acceptae. Praecipua tot cladium in vetustis annalibus causa fuisse traditur Balduinus Pisarum antistes: qui alioqui sanctus, et e D. Bernardi disciplina, humano errore deceptus, quae pacare ac extinguere debuerat odia, incendit fovitque (1). Ut propterea illius spiritus, corpore jam exsolutus, cuidam se videndum miserabili specie praebuerit: fassus se tamdiu in cruciatibus futurum, quamdiu ipsius instinctu motum inter Lucenses Pisanosque bellum conquiesceret. quippe tantam extitisse horum populorum rabiem, inter se belligerantium, ferunt, qui oculis hausere, ut nihil divini humanique juris, sanctum inviolatumque esset (2), nullum prophanorum, sacrorumque locorum discrimen, quae passim rapinis caedibusque polluebantur. nec ipsis peregrinorum, mystarum, antistitumque corporibus abstinebatur: quorum alii occisi, alii spoliati, pretioque redempti fuere: tantaque

(1) Manriq. in Annal. Cisterc. Ann. 1146. cap. 1 n. 8 e. 2 n. 2 et seqq.

(2) Petr. Cluniacensis lib. 4. epist. 37.

mole utrinque bellatum, ut Othone Frisigensi, qui haec spectabat, referente, *ruinae suae omnes Tusciae vires implicuerint*. quae verba in honorem Florentinorum Ammiratus detorquet (1), cum Florentini non summa, sed Lucensis, Pisanique belli accessio fuerint. Post Ingilbertum Tusciae imperaverat Henricus, cui qui successit Ulricus, adjunctis sibi Florentinis, bellum Senensibus intulerat: qui cum se impares cernerent, ad opem Lucensium confugere. Lucenses praeclarum sibi rati, si tam nobilem Etruriae populum, supplicem defendissent, Senensibus auxilium polliciti, Florentinos hostes pronunciant: cumque iis, ac Guidone Guerra, qui ad opem postulandam adversus Florentinos, quibuscumque atrox bellum gerebat, Lucam venerat, vires suas junxere. Florentini cum ingruentem belli molem, sustinere posse diffiderent, foedere cum Pisanis icto, ad vastandos Lucensium agros, Guidonisque oppida ferro, flammis, rapinisque excindenda progressi; in insidias a Senensibus a tergo positas praecipitavere, paucis tantum fuga elapsis. Sed ubi atrociora odia, major etiam clades erat. quippe e Lucensibus Pisanisque, non modo plurimi

(1) Ammirat. lib. 1 Histor. Florentin.

caesi vulneratique; sed innumerabiles utrinque capti, longa inedia ac squallore carceris macerati, lacrymis dignum spectaculum humanos casus reputantibus praebebant, ut ii felices censerentur, qui compendio mortis, eam calamitatem evasissent. Nam fatali quadam rabie efferati animi, ac in mutuam perniciem accensi, non de imperio ac victoria, sed de vita ac salute certabant. Quare Eugenius III. qui post breve Caelestini, ac Lucii imperium, Innocentio successerat, patriae miseratione (quippe Monte Magno pisani agri oppido ortus) ad eos populos pacandos, Petrum Cluniacensem (1) celebri sanctimonia, in Italiam accitum, Lucam Pisasque destinavit, ut ipse testatur, retulitque in annales clarissimus historiae sacrae auctor Baronius (2). In eadem pace componenda, idem Eugenius, insequenti anno laboravit, cum ob romani populi tumultus, veterem libertatem repetentis, Roma egressus, Pisas Lucamque praesens accessit (3), gallico itinere, quod celebrando Rhemis sacerdotum concilio susceperat, exitu utriusque conatus incerto. Dum Lucae esset,

---

(1) Petr. Clun. lib 5 epist. 34 et l. 2. Miraculor. c. 25.

(2) Baron. Ann. 1145.

(3) Sigon. lib. XI.

basilicam D. Frigdiani, totius civitatis concursu, solemni ritu dedicavit: sacrumque ejus divi corpus suis manibus sub ara composuit; Alexandri III. qui illi successit, ineluctabili testimonio (1). Traditur quoque ab eodem pontifice dedicatam aedem D. Laurentii ad Vacculum, Pisanae viae appositam. Satis benigne, pontificibus maximis, ea tempestate, his caeremoniis laborem operamque impendentibus. Quem tamen exitum Eugenii studia, in Lucensibus Pisanisque pacandis habuerint, incompertum. illud constat tribus consequentibus annis, adhuc incendio armorum, eos populos conflagrasse; cum ne quidem sanctioris hebdomadae diebus, pugna ac caedibus abstineretur (2). pacem demum Conradi imperatoris jussu, insequenti anno firmatam, recens pisanorum annalium scriptor (3) antiquis silentibus, ex occultis quibusdam tabulis commentus est: duris, ut ipse scribit, quod ad Lucenses attinet, legibus. Nam jussos, ait, a caesare, discordiarum materiam, Vurnum oppidum diruere: quod a Manfredi (Sofredum antiqui annales vocant) nepote jam-

(1) Pennot. l. 3 c. 41 N. 6.
(2) Chron. Pisan. Ann. 1148.
(3) Tronc. Ann. 1149.

dudum emerant; annisque sex viriliter tenuerunt: Corvariam Ugutioni; Pisanis Aghinolphum reddere: castellum, magnum nomine evertere, nec in posterum restituere. quorum fides penes ipsum, et arcanas tabulas esto. caeterum hujusmodi occultarum tabularum fidem, arguit scriptor vetus (1) pisanarum rerum: qui ait, Lucenses a Sofredi nepote Vurnum, decem lucensis monetae libris (ea tunc pecuniariae rei inopia erat) emisse, ipsumque funditus diruisse: quod insequenti anno factum, Ptolemaeus lucensis memoriae prodidit. Ex quo patet, Lucenses non Conradi jussu, neque e pacis legibus, sed sponte id oppidum evertisse; belli seminarium, et Pisanis vicinitate opportunum. ruinae illius adhuc extant, in montis jugo qui Vurni Cosellique valles interjacet; tusca voce (2), qua hujusmodi veterum castellorum rudera appellantur, notae. Dum Lucenses assiduis bellis atteruntur, fortuna, ipsis ignaris id moliebatur, unde futuris saeculis, opibus divitiisque supra caeteros Etruriae populos florerent. Intulerat Rogerius Siciliae rex Graecis bellum, ob legatos, quos Constantinopolim miserat, in carcerem conjectos, commune gentium jus ulturus,

(1) Chronic. Pisan. ab Hughellio editum.

(2) Castellaccio.

et classe victrici Graeciae oras depopulatus. Corcyram, Corinthum, Thebas, Chalcidemque sui juris fecerat. Ea expeditione, sericae artis opifices primo in Italiam invecti: qua arte deinde Lucenses, mirum in modum fortunas suas auxere; armorumque fructus luxuria extitit. Jam inde a Justiniani temporibus, ex India in Graeciam semina advecta erant, quae temperato calore exclusa, magno rudium talis rei miraculo, vermes ediderant: qui, ita monstrantibus, qui advexerant, mori foliis pasti, demum mirae tenuitatis lanugimen ac fila ore proferrent; quibus arcano ingenio inter se implexis, folliculum in ovi morem contexerent, eoque se in arctum collectos includerent. inde alati papiliones facti, extra folliculum se prorumperent; mutuisque conjugiis, foecunda ovorum agmina, reparandae soboli effunderent. iisdem, qui attulere, docentibus, (binos monachos fuisse tradunt) ratio inita, quemadmodum iis folliculis ferventi aquae infusis fila devolverentur; quae versatilibus rotis excepta, ac deinde machinis torta, coloribus fucata, in pretiosi panni opificium texerentur. primi Lucenses eam artem magno studio excepere: tanto profectu, ut brevi multa jugorum millia non holosericis modo, sed attalico more vestibus auro intextis conficiendis erigerentur. quae per Germaniam,

Galliam, Belgium, aliasque Europae provincias, usque ad ultimos Sarmatas, Britannosque magno compendio distractae, urbem divitiis implevere: donec per civiles discordias crebris familiarum migrationibus, id opificium magno patriae detrimento, aliis terris invectum.

Novissimi pisani belli temporibus, illud contigit, quod in acta Gulielmi Aquitaniae reguli (1), ab antiquo scriptore memoratur. Venerat is, jam D. Bernardi suasu ad bonam frugem redactus, in Tusciam, ut dictum est, bellorum furore ardentem: conspicatusque Lucensium exercitum, in oppidi cujusdam (Librafactam fuisse quidam tradunt)(2) obsidione occupatum: cum (ut erat militaris rei admodum gnarus) pleraque haud e militiae disciplina, a ducibus geri animadvertisset; derisa eorum inscitia, brevi se oppido potiturum affirmat, si armorum sibi imperium traderetur. ea vox a proximis excepta, et ad magistratus urbis perlata, id effecit, ut hospiti, quem, et habitus corporis, et fiducia animi, militarem virum, reique gerendae parem ostenderant, imperium deferretur. qui

(1) Acta D. Gulielmi apud Bolland. 10 Febr. cap. 8 n. 34.
(2) Franciott. in Act. DD. Lucens. de Nupliani ecclesia.

cum in proximum diem oppugnationem pronunciasset, Nuptianum ad quietem se recepit. Sed ea nocte repente oculis captus, cum e somno evigilasset; cognito quid sibi divinitus contigisset, duces militesque jam in armis paratos, ac imperium expectantes, calamitatis suae admonuit, aliamque sibi opem quaerere jussit. ho-
» minem se esse, qui ut ingentium criminum,
» quibus sese obligasset, piaculo solveretur,
» olim mortalium rerum curam abjecisset: nunc
» ad easdem per imprudentiam revolutum, ma-
» nifestas numinis iras, subita caecitate sentire:
» proinde ne vanitatis, aut violatae fidei illum
» incusarent, si promissis non stetisset. nec dictis miraculum abfuit, ubi dimissus a magistratibus est, receptis statim luminibus. Eodem anno cum Guido comes, manu trium millium equitum secum educta, in lucensem agrum venisset, in vurnensi monte acri commissa pugna cum Lucensium copiis, cum diu neutro spes inclinasset, tandem Lucenses praevaluere (1), multis ex hostium numero caesis captisque. qui comes, insequenti anno oppidum Crucem in eodem monte situm, Lucensibus restituit. missi ad illud publico nomine recipiendum, Guidottus

(1) Ptolem. Lucens. Chronic. MS. Ann. MCLII.

Indenariatus, et Tancredus Advocatus: quae familiarum nomina jam pridem interiere. quo tempore, eae Lucensium opes extitisse, in vetustis monumentis dicuntur, ut praeter D. equites e civibus, MMMMM. auxiliariorum equitum, ac XX. millia peditum, in armis haberent (1). Eo quoque anno, ex inopia frugum Thuscia famem sensit, famaque vulgati morbi in pestilentiae morem multos mortales absumpsere. Conradi imperatoris mors, quem hoc anno XV. Kal. martii excessisse constat, magnarum calamitatum origo Italiae extitit. quippe Fridericus, qui illi septemvirorum suffragiis suffectus est, a colore barbae aeneobarbus appellatus, variis cladibus illam afflixit. acerbus praecipue romani sacerdotii hostis, secessionumque religionis auctor: magni alias animi princeps, belloque, ac rebus gestis clarissimus. Hic inter ipsa principatus initia, Etruriae rebus animo adjecto, ejus provinciae regulum, Guelphum avunculum constituit: Umbriae quoque, Sardiniaeque, ac regionis ejus, quam Mathildis pontifici romano legaverat, imperio illi attributo. unde odiorum semina, quae mox in arma, et vim erupere. Lucenses prae caeteris eum propitium experti: quibus, jam olim ab aliis caesaribus cudendae

(1) Chron. MS.

pecuniae decus concessum, auctoritate sua ratum esse jussit. Tanta autem erat iis temporibus monetae lucensis aestimatio, ut passim, non per Etruriam modo, sed per universam Italiam, ea urbes populique uterentur. hinc nonnullae gentes, Pisani praecipue utilitatibus Lucensium semper incommodi, compendii spe, signatura lucensi pecuniam cudebant. quod cum in Lucensium injuriam, detrimentumque cederet, Adrianus pontifex maximus, qui post Eugenium et Anastasium, romano sacerdotio potiebatur, Etruriae urbibus, execrationum dirarumque objecta religione, interdixit, ne pecuniam signatura Lucensium cuderent, utque ea Itali vulgo in commerciis uterentur sanxit. quod idem nominatim adversus Pisanos, Fridericus imperator aliquot annis post decrevit. quod cum illi solita contumacia detrectassent, pactione etiam, quam cum Lucensibus super ea re inierant, violata, caesar iratus in foedifragos exilio animadvertit. Nec Friderico Lucenses defuere. quippe in eo praelio, quo apud Tusculanum montem, Romani, insigni clade, ab exercitu caesaris fracti sunt, primas fuisse Lucensium partes vetusti annales memorant (1). quippe cum ii ante omnes elato vexillo, se se in hostes tulissent,

(1) Ann. MS.

caeteris pugnandi audaciam fecere. Interim Pisani Lucensesque, mutuis cladibus fessi, inducias in XX. annos sanxere. Pisani huic foederi Guidonem Guerram, Senenses, Pistorienses, Albertumque Pratae comitem adjunxere: a Lucensibus Florentini, Pratenses, dynastaeque provinciae feroniensis adscripti, publicatae hujusmodi foederis leges XVIII. Kal. septembris, ejus diei, ob receptae coelo Virginis celebritatem, toto orbe venerabilis, laetitiam auxere. Gaudentibus praecipue Pisanis, quibus is dies eximia religione colitur: quasi suis ipsa manibus, tot annis patentes belli portas Diva clausisset. Pacis bonum alia felicitas, insequenti anno excepit. Nempe Friderici imperatoris adventus: qui accepto Adriani pontificis manu diademate, in Germaniam regrediens, Lucam divertit. Extant adhuc in tabulario basilicae martinianae, tanti hospitis vestigia. nam dum Lucae subsistit, audita regiae feminae Bertae liberalitate in ejus basilicae sacerdotes, aliam et ipse adjecit: eosque fratrum nomine, honoris causa, appellatos, in fidem clientelamque recepit. Atque utinam se se talem romanae ecclesiae Fridericus, qualem lucensi praebuit. nam hoc anno, Adriani pontificis excessu, turbatis rebus, cum alii Rolandum Bandinellum, Alexandri III. nomine; quidam vero Octavianum Victoris IV. appella-

tione legissent; Fridericus inviso jam pridem ob virtutes Rolando, Octaviano et vita et causa deteriori favit: quem sibi magis propitium fore arbitrabatur. quam secessionem dum caesar plus nimis fovet, una ruina christianum orbem implicuit (1). Lucenses temporum fato, una cum caetera Etruria, studiosos Friderici arguunt beneficia ab eo, ipsiusque praefectis, illis collata. Nam aliquantis post annis, Rainaldus, et Henricus, caesaris per Etruriam legati, iterum signandae pecuniae jus Lucensibus ratum jussere: idemque caesar Guidingam arcem in regione Versiliae iisdem remisit. nec minus favisse Friderico nostros, illud argumentum est; quod in praelio adversus Romanos, supra memorato, in quo ad IX. millia caesi captique, Lucensium vexillum caeteris praelatum est: equitumque Lucensium, praeliis pugna memorabilis fuit (2); caesarique ingens ad victoriam momentum. Verum ut Friderico Tuscia, ita Alexandro religionique Gallia cisalpina studebat. cujus provinciae populi plures, sed Mediolanenses praecipue, caesaris iram experti. nam cum ejus copias alia, atque alia clade fregissent, demum obsessi expugnatique, acerbas ab irato poenas tulere:

(1) Chronic. Pisan. Ann. 1146.
(2) Ptolem. Lucens. Sercamb.

tam clara, et regum quondam caesarumque sede ita eversa, ut per ejus ruinas, sale ante veteri exemplo seminatas, in triumphi morem curru victor incesserit. Secundum eam victoriam, Fridericus in Tusciam e Gallia Cisalpina descendit; cui ad D. Genesii vicum lucensis agri, consules civitatis, Gulielmus, Lambertus, et Carolus praesto fuere. quos deinde reliqui collegae Russus, et Guadardus sequuti. A quibus cum lucensis populi nomine sacramentum exegisset, eum in romani imperii fide mansurum, tributa caesaribus pendi solita, quae regalia appellabant, liberaliter remisit: consulibus in grati animi significationem, in sex annos quadringentorum argenteorum (libras appellabant) summam spondentibus. ejus sponsionis tabulae in aerarium relatae adhuc extant (1) V. Idus februarii hujus anni confectae. Illud quoque a caesare decretum, ut annui consules per cives eligerentur: qui rempublicam in romani imperatoris fide retenturos jurarent: eorumque unus, si caesar in Germania esset, duo, si in Italia ad illum accederent, causa suscipiendi ex ejus manibus jus, et insigne imperii, sacramentumque in ejus verba concipiendi. Frequens consulum mentio, ab

15

(1) Armar. 12. Tarpeiae pag. 17. n. 2.

iisque impensa caesaribns obsequia, tum bella eorum auspiciis suscepta ac administrata, eam curiositatem in animis legentium excitare videntur, ut scire cupiant, quae tum gerendae reipublicae, domi, militiaeque forma esset: ac imperatoribus paulatim jure suo decedentibus, qua ratione nova libertas adolesceret. Civitas igitur ea tempestate, pro numero portarum in quinque regiones divisa erat: e quibus singuli cives, nomine consulum, in annum creabantur. hic tum maximus urbis magistratus habebatur: publicisque consiliis praeerat: ejusque muneris erat, absente praetore urbano, negotia ad senatum referre, armorumque imperium gerere; nam praetor, antiqui dictatoris instar, summum pacis, bellique jus habebat: caeterique magistratus infra majestatem illius erant. is nobili loco natus, aut alia claritudine insignis, ab exteris urbibus petebatur: cui primo annuum imperium delatum; mox quia nimia potestas videbatur, eam breviori temporis spatio coercere visum: praeturaque ex annua semestris facta. Hic tamen, ut caeteri magistratus, senatui parebat: qui ex quingentis civibus, centenis e quaque regione in eum numerum conjectis constabat: isque maximus dicebatur. Senatorius gradus singulis civibus patebat. iis tantum exceptis, quos aut aetas consilio invalidos, aut sordes,

humilitasque generis artisque tamquam dedecori summo ordini futuros arcuisset. a duodevigesimo anno curia juvenibus aperta: ut scilicet mature reipublicae inservire assuescerent, longoque rerum usu experientiores fierent: praeter hoc, duo minora consilia erant, quae certa negocia curarent: alterum vicenis e quaque regione: alterum minore numero conflatum: in quo tamen periti juris extra ordinem censebantur. haec, ut dixi, certis curationibus praeerant: at prioris suffragio pax, bellum, leges, foedera sanciebantur, deque universa reipublicae summa constituebatur: salva semper imperii reverentia, cujus nondum plane obsequium, jugumque excussum erat. His consiliis, ut dictum est, consules, ipsis praetor praesidebat. cujus etiam erat ea in curiam vocare: quae iis temporibus plurimum basilica D. Michaelis in foro lucensi erat. quippe majores rati, publica negocia, integrius sanctiusque tractanda, si in augusto consecratoque loco agerentur: veterum Romanorum exemplo, quibus neque senatum habere nisi in templo, neque quicquam cum populo, nisi inaugurato agere licebat. Ubi senatus frequens adesset, praetor urbanus, aut eo absente consul primus, de qua re consuli vellet referebat. factaque relatione, singuli e quaque regione, sententiam rogabantur: quos

consilio, aut facundia praestantes, ex aliorum numero lectos, oratores appellabant. Jus praeterea magistratibus erat, in senatu loqui de iis, quae eorum curationis essent. caeteris senatoribus raro dicendae sententiae locus: iique, si quando potestas a magistratibus facta esset, non stantes ante consulum tribunal, ut oratores, sed conscenso suggestu dicebant; auditis sententiis, senatusconsultum per scribam recitabatur: tum in suffragia ibatur; idque demum ratum sanctumque erat, quod majori parti placuisset. Senatus annua potestas erat: novique senatores in hunc modum legebantur. Circa finem anni veteres in curiam conveniebant: tum in singulas regiones binae urnae in medio statuebantur: in quarum alteram nomina senatorum ejus regionis; in alteram totidem tabellae albae praeter denas certis notis inscriptas conjiciebantur. tum puer advocabatur, qui fraudis dolique ignarus, e priore urna tabellam cum senatoris nomine educeret: isque cujus nomen exierat, ex altera urna tabellam subsortiebatur: et si quidem una ex inscriptis nota exisset, is senator e legentium numero erat. idque semel ac iterum fiebat, donec denorum numerus expleretur. denis ex singulis regionibus hoc ordine eductis; quinquaginta illi senatores, excedentibus caeteris, in curia subsistebant: nec ante illis inde exire

licebat, quam novum senatum legissent. Eadem comitiorum legendis consulibus, praetorique ratio erat. quinquageni senatores, ea qua dictum forma est, lecti conveniebant; isque praetor aut consul renunciabatur, qui e suffragatoribus quinos et quadragenos tulisset. quod si intra id spatium, quo sol diurnum orbem conficit, non consensissent, senatus major, minoresque advocabantur, ad eosque electio rejiciebatur. Praetor renunciatus jurisconsultum secum ducebat, qui illi a consiliis esset: eique in publicum prodeunti gladius pileusque praeferebatur; tanquam justitiae ac libertatis insignia: ipse vero manu scipionem argenteum, potestatis insigne gestabat. quae ad hanc diem manent. Eodem ordine caeteri magistratus minores creabantur, erantque ii, consules justitiae, procuratores reipublicae, judices appellationum, quaestores, qui pecuniam publicam tractabant. quibus legendis ut unius reipublicae cura esset, nemini patrem filium fratremve nominare fas erat, aut probro aliquo eo honore indignum. Militares magistratus, eodem quo civiles ordine lecti. imperium armorum ad praetorem, eoque impedito aut absente, ad primum consulem spectabat. praeter eum duo praefecti, alter peditum, alter equitum creabantur: ac demum is, quem praepositum appellabant, qui fulgenti-

bus armis tectus, equoque cataphracto insidens, insignem currum, quem carrocium vocabant, quoties in aciem efferretur, anteiret. Erat is currus ingens, quatuor grandibus rotis impositus: super quem tabulatum in modum turris eductum assurgebat. in medio procera arbor, in morem nautici mali, in sublime erecta; rudentibus hinc inde contabulationi alligabatur: in cujus summo crux aurea longe lateque fulgebat. infraque eam vexillum populi, universo exercitui conspiciendum explicabatur. prope aedicula extructa erat; in qua maximo cultu augustum Christi corpus, in morientium militum opem servabatur: ejusque custodiae gemini sacerdotes adstabant. pendebatque eodem loco aereum tintinnabulum ingens, quo signum ineundi praelii dabatur: quodque, ubi pugna commissa esset, crebro pulsu ardorem, animosque militi addebat. Ipse vero currus purpureo panno ad speciem majestatemque late constratus, multis boum jugis, eximio corpore ac albo colore praestantibus agebatur: qui et ipsi purpureis pannis velati conspiciebantur. Eam molem non nisi in maximis praeliis, et cum summa rerum in discrimen daretur, educi mos erat. quotiesque in aciem procederet, ante illam, ut dixi, magno tubarum clangore, is praefectus incedebat: promptissimis militum, ad latera ac

tergum, in praesidium dispositis. circa eum currum; ubi manus consererentur, acerrima pugna erat: his conatu defendere, illis occupare laborantibus: cum et summum dedecus amittere; parque decus capere existimaretur: nullumque magis superbum opimumque spolium, hostili curru, in triumphum duci posset. quam molem ab Hereberto mediolanensi antistite olim inventam Tusciae urbes accepere. Ea tunc apud rudem antiquitatem opinio erat: hi pacis, bellique in civitate mores: quos nec me retulisse, nec legisse quemquam poeniteat.

Nunc, ut ad institutum rerum ordinem revertamur, ut lucensem populum a Friderico stetisse concesserim, collegia certe sacerdotum cum Alexandro sensere: quod egregio eorum facto ostenditur. Victor, quem imperator pontificem colebat, e Gallia Cisalpina Romam revertens, in itinere Lucam intravit, ubi morbo correptus aprili mense extinctus est. ab ipso valetudinis exordio emota mente: si tum primum insanisset. Mortui cadaver, cum illi ritu pontificum honorem funeris habituri ejus asseclae in basilicam martinianam efferre meditarentur, sacerdotes exclusere. cumque idem apud D. Frigdiani basilicam tentatum esset, eadem constantia infame cadaver rejectum: profitentibus eorum collegiorum sodalibus, se potius sedibus migratu-

ros, quam detestabilis viri funus reciperent (1), quem apud inferos impietatis suae poenas luere non dubitarent. quare a caesaris satellitibus monachorum templo quorum unus Octavianus olim fuerat, per vim illatum, loci sanctitatem incestavit. Statim a funere, ab ejus factionis hominibus, comitia Lucae habita, subrogatusque est ejusdem furoris socius Guido cremensis, qui Paschalis III. inane nomen arripuit. Sed e lucensium sacerdotum numero, maximum laborantis Alexandri columen erat Hubaldus Allucingus ostiensi sacerdotio romano fastigio proximus: qui dum alterius majestatem tuetur, viam sibi ad pontificatum maximum muniebat. cujus illud insigne sacerdotalis animi factum memoratur, quod Ticinum ad Fridericum ab Alexandro legatus, in publico procerum principumque conventu, salutationem ei, tamquam diris ac detestationibus obligato negavit: quod in hac disciplinae inclinatione, vix quisquam in plebejo aliquo audeat. Tanto augustior apud majores, sacerdotii sanctitas, caesarum fastigio habebatur. Inter mala, quibus ex hujusmodi imperatorum pontificumque discordiis, christianus orbis, sed Italia praecipue afflicta; vel maximum

(1) Baron. Tom. XII. ann. 1164.

fuere pestilentes Guelphorum, Ghibellinorumque factiones: quorum nominum, ut origo varia, et incerta, aliis alia tradentibus; ita certissima pernicie, non modo provincias urbesque, sed etiam privatas domos pervagata, omnia mutuis cladibus ruinisque implevere. quarum factionum vocabula per Alexandri, ac Friderici dissidia, in Italia primum audita: cum ii, qui a pontificibus starent, Guelphi; qui vero caesarum partes tuebantur, Ghibellini appellarentur. Inter haec male sarta apud Lucenses Pisanosque pax rescissa; licet nondum induciarum tempus exisset. Occupaverant Lucenses Castellionem, arcem ad Aesarem in finibus Pisanorum: cumque Pisani Aldobrandum Familiatum e numero consulum, cum exercitu ad eam recipiendam misissent; signis collatis, nostrorum impetum non tulere. Sed adventu Germanorum, qui in subsidium accurrerant, cum sese collegissent, versa fortuna, victores adorti in fugam vertere, captis quibusdam nobilium: inter quos Ranerius Ricciardus fuisse memoratur. nec Pisani ea victoria contenti, paulo post in lucensem agrum transgressi, oppidum Agathense vi captum evertere: Quiesaeque, ac Massaciuccoli fines depopulati, usque ad D. Petri pontem, vicumque, praedas agendo pervenere. ibi a Lucensibus, qui eo loco castra communierant, iterum exce-

pti; fessi ab integris passim caedebantur; nisi consul inclinatam jam suorum aciem castigando verbis, a fuga inhibuisset. itaque redintegrato praelio, cum fortiter utrinque dimicaretur, nostri tandem cessere. Pisani fugientes usque ad civitatis moenia persequuti, minime tentata oppugnatione, cui pares non erant, castris positis aliquandiu ibi substitere. octo continuos dies sub Lucae moenibus Pisanos haesisse narrat novus Pisanorum annalium scriptor. qui in suae gentis laudem addit, eo tempore in portis pecuniam ab ipsis signatam, equorum cursus, aliosque ludos in Lucensium ludibrium editos: ac novissime a recedentibus, ingentem jaculorum sagittarumque vim intra urbem excussam. cum Lucenses toto eo tempore, incertum viventes an mortui, se se intra moenia continuissent. Quae a solita hominis vanitate profecta minime dubitaverim: cum neque Ptolemaeus, neque Pisanorum antiqui annales pridem editi, de tam magnificis rebus ullam memoriae prodiderint. Secundum eam pugnam, si quidem pugnatum sit, aliquandiu utrinque cessatum. cum demum Lucenses, collectis undique suorum copiis; cum frustra alias Etruriae civitates in societatem belli pertrahere tentassent, Julianum montem transgressi, pisanum agrum invasere. Sed Pisanis in occursum festinantibus,

retro signa conversa: nec ducibus experiri fortunam belli visum. quo tempore Fridericum imperatorem, ad horum populorum inveteratam rabiem sedandam, e principibus unum in Tusciam destinasse, in actis eorum temporum memoratur (1). Nec armis magis quam auro, rempublicam augere Lucenses ea aetate laborabant. Nam hoc anno a Guelpho Tusciae regulo, jus omne, quod intra sex mille ab urbe passus ad regulos Etruscos antea spectabat XC. millibus solidorum lucensium (argentei nummi genus est) in posterum redemere: in annos XC. aequis pensionibus solvendis. Dum paulisper ab armis cessatum, insequenti anno urbs incendio deformata: quod in caldoriae vico excitatum, sparsa latius clade, Arnaldorum aedes corripuit; et usque ad D. Salvatoris in Mustolio, atque inde Saginarum domos, ad curtis Orlandingorum transgressum, ibi stetit. Sed longe majori clade, eo qui sequutus est anno, pisanum bellum exarsit. Vetus inter Genuenses, Pisanosque de maris insularumque imperio aemulatio erat: quam Pisani per intemperantiam linguae, maris se dominos superbe jactando, hoc tempore majorem effecerant. Unde Genuensibus odia in dies crescere, premendique

(1) Acta Alex. III. apud Baron T. 12 Ann. 1166.

omni arte Pisanos consilia exquiri. itaque ad Lucenses versi, quos haud minore in Pisanos odio flagrare, satis norant; amicitiam foedusque cum eis renovant; et ad capessenda secum arma bellumque hortantur. ut hinc Lucensibus, inde Genuensibus, communi consilio bellum gerentibus. Pisani terra, marique intercepti de summa reipublicae periclitarentur. huic societati cum Lucensibus conciliandae, Genuenses pollicebantur se geminas aedes in Veneris portu ad usum mercatorum lucensium extructuros: suis impensis turrim ad Mutronem excitaturos: transvecturosque classe Lucenses, eodem quo cives jure. Itaque dum Genuenses in mari gallico ad Atacis ostium, inito certamine cum pisana classe insignem victoriam reportassent, septem triremibus hostium captis; Lucenses ex condicto Idib. maii cum exercitu pisanos fines ingressi, Quorum oppidum ad tertium lapidem, flammis injectis incendere. inde parati, instructique Ascianum pergentes, multa vi oppugnare instituunt. Pisani ad eum nuncium, raptim ac temere incompositi, inordinatique in praelium ruunt, primoque impetu Lucenses fundunt fugantque, qui cum se a paucis imparatisque pulsos oernerent fugam sistunt, signisque repente conversis, Pisanos tanta vi adorti snnt; ut iis ultra oppidum longe repulsis, fugatisque, amis-

sum decus ingenti cumulo receperint. capti eo praelio plures Pisanorum inter quos XX. e prima nobilitate: quorum duodecim nuncium simul, donumque victoriae, Genuam sociis missi. eos fuisse memorant Lambertum Majorem, Sigerium Gualandum, Bulgarinum Betierum, Gerardum Barutulum, Bonaccursum Magnanum, Ugolinum Grignatum, Lambertum Battepaleam, Ubertum Carbonem, filium Ugonis Badiernae, Bonaccursum viae majoris, Silvanum, ac filium Petri Altilii. quo facto Lucenses haud magnam laudem adepti; quod nobiles viros, velut hostibus deditos, arbitrii alieni fecissent. ea clade moti Pisani, ut ipsi quoque alienis auxiliis vires suas augerent; cum Vallechiae dynastis, ac plerisque feroniensis provinciae gentibus foedus sanxere, spe, ac promissis oneratis, si in Lucenses arma coepissent. Eorumdem Pisanorum opera Velter Corvariae regulus, qui aliquot ante annos una cum Ugutione fratre, in lucensis populi fidem concesserat: unaque caeteri Versiliae reguli, a Lucensium amicitia alienati. primus eorum impetus in Flamingam arcem fuit: quam ex insperato aggressi Lucensibus abstulere. Ad eam recipiendam confestim, quamquam summa hyeme, copiae submissae: brevique expugnata, et captum hostium praesidium. inde Corvariensis perfidiae ulciscendae, ducti ad ejus oppidum milites:

quod cum vi et armis coepissent, arce incolumi servata, relictoque ad ejus custodiam praesidio, in caetera aedificia ruinis ac incendiis saevitum. eodem ultionis ardore, Versiliae ager praecipue ad Fillungum, populationibus ad solitudinem redactus, ut permagni eis gentibus pisana societas constiterit. Super recentem cladem alia quoque res Pisanorum animos turbavit. praeerat Agnano (quod in Asciani vicinia pisani agri oppidum est) Tancredus vicecomes. hunc Lucenses auro corruptum perpulere, ut oppidum proditione traderet. Quod ubi Pisas nunciatum, Pisani rei indignitate moti, simul in Lucenses, simul in proditorem ira, collectis copiis ad recipiendum oppidum raptim advolavere. jamque diruta muri parte, prope erat ut oppidum caperetur, oppidanis intus oppugnationem juvantibus: cum Luca subsidiarii milites submissi adventu suo victoriam pene partam hostibus ademere. nam commisso praelio, Pisani Arnum usque fusi, fugatique; qui nostris insequendi, illis fugiendi finis fuit. capti ex equitibus XVII. major longe peditum numerus: plures limo paludum hausti: amissis praeterea machinis, tormentisque, quae ad oppugnandos muros advexerant. cum a Lucensium parte XI. equites, XV. pedites in hostium potestatem venissent. Ea jactura tantus Pisanorum animi moeror incu-

buit, ut etiam editis, vulgatisque carminibus, illum testarentur. quare Pisas reversi, pudore simul ac dolore irriti incepti: quodque navalibus praeliis, regumque ac insularum victoriis clari, Lucensibus pares non essent, ultionem omni ope comparabant quamquam paci inter eas nationes conciliandae, Villanus Pisarum, Ugo Genuensium, Henricus (Gregorium jam defunctum Troncius perperam nominat) Lucensium antistes, digna sacerdotibus cura laborarent: ejusque rei causa in certum locum convenissent. Sed rebus infectis discessere: cum assiduis cladibus, quibus mutuo atterebantur, vastitate agrorum, oppidorum, villarumque incendiis, ruinisque, plus in animis odia valerent. quae dum explerentur, nihil praeterea pensi erat: libenterque aviditate ultionis, aurum, sanguis, spiritus effundebatur. Itaque insequenti anno Lucenses Versiliam ingressi, cum quingentis equitibus, peditumque ingenti numero vicum Brancalianum depopulati, solo aequavere: vastatis iterum ad Fillungum agris: corruptisque quae priori populationi superfuerant. et ne prosperum fortunae cursum desererent, in feroniensem provinciam exercitum duxere: duce ejus expeditionis Turchio Malcera, cum duobus praefectis militaribus, altero Orlandorum, altero Stregorum stirpe. Erat, ut ante memoravi,

tunc civitas in quinque regiones divisa: juxtaque eum ordinem, honores ac munera domi militiaeque distribuebantur. Itaque adversus Ferononienses, eo tempore DD. Petri ac Gervasii regionum milites educti; qui cum ad Novocastrum, una cum praetore urbano aliquandiu substitissent (erat is Bernardus Bojanensis), donec ex caeteris partibus copiae colligerentur, Castellionem perrexere: quod oppidum Velter coryariensis Pisanorum foederatus, Lucensibus ademptum, valido praesidio, novisque operibus munitum obtinebat. acriter eo loco utrinque bellatum, cum oppidum situ et operibus validum, ac praeterea propugnatorum virtute fortiter illatam vim ferret, nostrique summis viribus connixi, omni telorum tormentorumque genere illud oppugnarent. rati id quod re postea cognitum est, in ea expugnatione totius provinciae victoriam verti. Sed cum ab utraque parte par pene virtus staret, fortuna Lucensibus accessit: oppidumque tandem vi expugnatum direptumque, multis hostium captis; inter quos Velter ipse in nostrorum potestatem venit. Ea victoria territi caeteri Feroniensium populi, qui a Lucensibus rebellaverant, fugam arripuere. in tergis quorum nostri haerentes Fraxinorum usque cum magna eorum caede persequuti; inde ad caetera oppida capienda se convertere praeter ea, capta

sunt quoque quorumdam regulorum oppida, qui Pisano foedere impliciti erant: omnibusque praesidium impositum: jussique Bargae, quibus praecipuum in Feronienses odium, quibusque tunc lucensis populus, fidelibus stipendiariis utebantur, eorum oppidorum moenia diruere; quo iterum rebellandi eis materia adimeretur. Nec interim Pisani cessabant, quippe adjecta Arno lucensis ditionis oppida adorti, corruptis frugibus, quae tunc in agris erant, excisisque vineis arboribusque, magnam cladem intulere: aliisque copiis cum Ubaldo praetore, in lucensem agrum a Librafactae parte immissis, paria circa Cerasummam (id pago nomen) audebant. quibus cum Lucenses ad Flexum (oppidum eo tempore ad Aesarem situm, ubi nunc Montolium vicus est) occurrissent; signis collatis atrox pugna commissa est. in qua cum Lucenses succubuissent, superato flumine, Nuptianum se se recipientes, Pisani insequuti, locum variandi fortunae praebuere. Nam Lucenses pudore male gestae rei fuga inhibita, tantis animis pugnam integravere, ut cruentam victoriam hosti facerent: multis utrinque caesis vulneratisque, nec minus multis captis: ex eoque praelio aequo marte discessum. tentavere quoque eo anno Pisani Guidingam arcem Agnanumque; sed occursu Lucensium prohibiti, cum se impares

pugnae cernerent, irrito incepto Pisas redicre. Per idem tempus, cum Furnulum inter Aesarem Limamque in montanis oppidum, lucensis populi hostibus receptus esset; ad comprimendam incolarum perfidiam, regionum D. Frigdiani ac Donati copiae equitum peditumque immissae. munita etiam adversus Pisanorum proditorumque impetus Corvaria: in eamque arcem, tolerandae diuturnae obsidioni alimenta congesta. nec inanem eam curam fuisse, pertinax Pisanorum rabies ostendit. quippe paulo post ad vastandos Versiliae montes progressi, eo consilio ut inde in feroniensem provinciam universam belli molem converterent; XX. peditum millibus, D. equitum manu educta, cuncta igni ferroque populabantur. Ad eum nuncium Lucenses, missis qui Mozani fauces saltumque occuparent; unde in feroniensem provinciam per angustos calles iter est; inde editis rupibus, hinc Aesare flumine in arctum compellente: cum XI. peditum millibus, D. equitibus, in occursum hostium processere. ibi conserta pugna, Lucenses quamquam dimidia ferme peditum parte minores, tantis viribus animisque conflixere; ut Pisani fusi fugatique, Lucensium finibus excederent. Lucenses prosequendam victoriam arbitrati, feroniensem provinciam ingressi, belli terrorem iis gentibus ostentavere. Primi Ghivi-

zanenses, non expectata oppugnatione, exercitum prompti excepere. inde in eos qui defectionis contagione peccaverant, milites educti, ferroque ac flammis in obsistentes saevitum. quemadmodum Bertingo, Gallicano, Segio, ac Lupinariae contigit: quorum agros populabundus exercitus vastando incolas ad deditionem compulit. quarum rerum fama alii populi victoriam ducibus per legatos gratulati, se imperata facturos promisere. receptique in fidem, ac in verba lucensis populi adacti. juravere illustria oppida Castrum novum, Castrum vetus, Pallerosum, Caesarana: Bargaeique, quamquam ea labe immunes, sacramentum renovavere. Castellionensibus praeteritorum veniam deprecantibus, clementer ignotum. eadem clementiae ostentatione regulis Gherardensibus venia data, quamquam eorum culpa ii populi rebellassent, cum in ejus facti piaculum, oppida quibus imperitabant, ipsique sacramento adacti, in fidem lucensis populi concessissent. in qua deinde constanter mansere. quare duces praefectique, Lucam inter populi plausus, triumphantium more ingressi, civitatem felicium armorum successu laetitia implevere. quippe eorum virtute auctum lucensis populi imperium, fracti rebellantium spiritus, pacata feroniensis provincia, Pisani clade fugaque intra fines compulsi, illorum glo-

riam commendabant. aliquot dies ob eam victoriam publicae laetitiae dati, quibus expletis, ut speciosius oculis civium reportatae victoriae spectaculum esset, vocati ex singulis feroniensis provinciae municipiis cum publicis mandatis, qui popularium nomine, sacramentum coram praetore urbano in verba lucensis populi renovarent. Templum ei spectaculo D. Petri in Cortina lectum, ubi coram praetore, qui missi fuerant juravere: confluente ad visendum tota civitate. quo tempore quinque vexilla, albo purpureoque distincta, totidem municipiis tradita; ut veluti caeterorum capita ac principes essent. ea, quibus is honos habitus, Barga, Castellio, Corellia, Caeserana, Ghivizzanum, extitere. missus, qui eam provinciam praetoris imperio regeret Gualterotus Castagnacius: cui judex additus Aliprandus Dalagallia. Secundum haec minuendis ferocibus ejus gentis animis, plures arces dirutae: quarum fiducia ante rebellaverant. quod idem de Pedona arce in Versilia factum. qua causa pleraeque munitiones, in caeteris praefecturis, ac etiam intra sex mille ab urbe passus in collibus eversae: novarum rerum materiam quaerentibus opportunae.

Acrior multo, circa finem sequentis anni, belli vis exarsit. Pisani septembri mense, navim Genuensium Lucensiumque, ex Sicilia venientem

occupaverant. moxque ad prohibendum Lucensibus liberum maris commeatum versi; arcem oppidumque ad Mutronis portum tollendum suscepere: ita rati, Genuenses facilius a Lucensium societate discessuros, sublato loco, recipiendis, eorum classibus, auxiliisque submittendis adeo opportuno. Itaque XV. Kal. decembris, cum duobus ferme armatorum millibus Versiliam ingressi, circa Mutronem positis castris consedere. quo intellecto Lucenses, raptim eductis copiis, ad Viaregium (id maritimae arci vicoque nomen) prope turrim ligneam maximi operis, in tutelam loci extructam, et ipsi castrametati sunt: ad arcendam vim, si quae fieret, instructi et intenti. ibi collatis castris, quatriduum per mutua colloquia absumptum. cum consules Florentinorum aliique, quos earum cladium taedebat, sequestres pacis, finiendas discordias suscepissent. Sed Lucensibus, qui spe jam victoriam praesumpserant, quieta consilia aspernantibus, Pisani se ad pugnam comparavere: copiis in tres acies hoc ordine divisis. in prima omnis peditatus ac sagittarii cum quingentis equitibus locati: cum sex castellis ligneis, quorum unumquodque quatuor curribus agebatur. in ea duces fuere Sigerius Gualandus, et Albertus comes pratensis. secunda acies septingentis equitibus constabat: in eam pisanae nobilitatis flore conje-

cto. inter quos Gerardus, Raynerius, Ugo, Tedinus, Bisernus, Ugutio, et Tegrimus C ornini comites eminebant. In tertia quingenti equites stabant, omnes ferme nobiles; quos volaterrarum antistes, a sacris ad arma transgressus, submiserat, duce Henrico Cane, qui militari laude ea tempestate insignis habebatur. quo ordine aut numero, quibusque copiarum ducibus Lucenses contra steterint, nec a nostris, nec ab externis proditum. tanta in insigni re literarum parsimonia extitit. Utroque igitur exercitu in aciem educto, ingenti virium animorumque contentione praelium commissum, sustentatumque per tres horas, in neutram partem vergente fortuna. donec inclinata primum Lucensium acies, deinde in fugam passim versa, illustrem victoriam hostibus dedit. magna pars ferro caesi, alii paludibus hausti obrutique, alios silvae texere. quibusdam saluti classis Genuensium fuit, quae in proximo litore stabat, in quam se fugientes recepere. pars ad urbem, murosque tuendos, celeri cursu delati, CCC. equites, ac ingens peditum numerus, cum tribus consulibus: ac praeterea castra cum impedimentis amissa. eaque clade adeo trepidatum, ut in confesso fuerit, si Pisani victoriae impetum sequuti, non ad legenda spolia, sed insequendos hostes jam perculsos, urbemque obsidendam se conver-

tissent, eum diem lucensi urbi futurum aut ultimum, aut prope supremum. Sed superi, ac lucensis populi fortuna, aliam illis mentem injecere: gaudioque praedae, ac avaritia retardatis, solidae victoriae fructum abstulere. Caeterum tantus utrinque ardor pugnandi extitit, tam strenua ducum, militumque opera, tanta in victis victoribusque virtus; ut palam fuerit, intra annos centum nullum praelium in Etruria extitisse, quo par nobilitatis flos, aut aequale robur virorum, et in quo duae acies, ad laudem gloriamque magis incitatis animis, jam callide instructae, tantaque militaris artis scientia conflixerint. proximo die Pisani ligneo castello ad Viaregium expugnato, spoliandis quos paludes silvaeque absumpserant, reliquum tempus dedere. post triduum vero, qui fuit dies III. Kal. decembris, ad oppugnandum Mutronem, cum machinis, ligneisque turribus exercitus ductus. erat Mutro, tum situ et operibus, tum propugnatorum virtute tutissimus. quippe ad mare situs, altera parte mari, altera ingenti fossa cingebatur. ipsum vero oppidum quadrata forma extructum ad singulos angulos elatam turrim habebat: in medio autem turris in quadragenum cubitorum altitudinem educta attollebatur. ballistae XX. numero in muris turribusque, ad arcendos hostes dispositae stabant: cum valido

LXXX. fortissimorum militum praesidio. Pisani cum oppidum corona cinxissent, per quatuor dies omni telorum genere oppugnavere: propugnatoribus die noctuque omnia streme obeuntibus. Sed cum muri jam crebro arietis impulsu labarent, et alibi etiam testudine (1) perfossi, transitum hostibus aperirent, turri etiam laxatis compagibus ruinam minitante, IV. nonas decembris, cum nullum auxilium submitti posset, egregio bellicae virtutis edito opere, qui intus erant arcem hostibus tradidere. eam victoribus diruere visum, ne Lucenses iterum potirentur. triduum ei labori impensum. Mutronis arce solo aequata, ligneam quoque turrim ad Viaregium, subjectis flammis incendere, ne usui Lucensibus rursum esset. Pisasque reversi cum insigni pompa pridie nonas decembris urbem intravere. Haec, ex Pisanorum annalibus, ad Viaregium pugna extitit (2): quam aliter Ptolemaeus multo majoris ad fidem momenti in annales retulit (3). quippe primo conflictu Lucenses ad Viaregium victos, oppido amisso, tradit. Sed postea collectis animis viribusque, impetum in exercitum victorem fecisse; acerrimaque utrinque edita pu-

---

(1) Gatto.

(2) Chronic. Pisan.

(3) Ptolem. Lucens. in ann.

gna eversis munitionibus castra Pisanorum intrasse: nec finem pugnandi nisi meridie factum, cum sub auroram inchoatum praelium esset; sed dum Pisani a Lucensibus in fugam vertuntur, quosdam e Gallia Cisalpina, qui inter auxilia Pisanorum erant, una cum Versiliae regulis, ad invadenda Lucensium castra stationesque profectos, fusosque ac victos a Lucensibus, qui se ab insequendis hostibus ad sua tuenda converterant: paucorum caede, qui temere ac inconsulte, haud servato militiae ordine, se se periculis objecere. ac nocte demum Pisanorum cladem, lucensium victoriam diremptam. Eodem anno Ghivizzanum, quod ab eorum fide defecerat, a Lucensibus armis receptum. incensaque, ac solo aequata Calavurna: oppidum in eodem tractu in montanis ad Aesarem situm. emptus quoque de Truffa Mezolombardo (1), (id inter familiae Antelminellae, apud Lucenses clarissimae, cognomina extitit) ager ab Aesaris faucibus, usque Montravantum. Et quoniam reipublicae viribus longo bello attritis, externa auxilia necessaria erant; foedus eo anno cum Pistoriensibus initum. eo cavere visum, ut Pistorienses certum equitum peditumque numerum, pisano bello juvandis

(1) Mezolombardi Antelminellorum cognomen.

per XX. dies sumptu suo alerent: singulisque annis, ubi Lucenses postulassent, D. pedites, CL. equites, ac ballistarios praeberent, sumptumque in unum mensem in eos facerent. Fatalis Lucensium ac Pisanorum rabies Alexandri pontificis animum, quamquam magnis difficultatibus impliciti, a propriis ad alienas calamitates averterat. quare misso in Tusciam legato, qui inter eos populos pacem conciliaret: cum nulla in Lucensibus mora esset, Pisani obstitere: quod inter pacis leges de reddendis lucensi antistiti oppidis mentio injecta esset. quare ob eam contumaciam, detestationibus dirisque devoti, sacrisque abesse jussi. Itaque renovato iterum bello, Pisani praecipuum victoriae fructum rati, si Corvariam recepissent, adjunctis sibi e Versilia, ac feroniensi provincia regulis, ad obsidendum oppidum perrexere: obsidio, strenue qui intus erant tolerantibus, in sex menses protracta. quo tempore, cum res jam eo perducta esset, ut vix octo dierum alimenta obsessis superessent, Lucensibus in subsidium accurrentibus, Pisani solvere obsidionem coacti sunt. nequaquam oppido potiti, ut contra fidem veterum annalium, recens scriptor, genti suae largus victoriarum, scribit. Corvaria citra spem e Pisanorum faucibus erepta, memorati Versiliae ac feroniensis provinciae reguli, a Pisanis ad Lu-

censes defecere. uno Gerardo Vallechiensi excepto, qui Pisas cum tota familia migravit. corruptos lucensi genuensique auro regulos, praemiisque a Pisanorum foedere abalienatos, antiqui scriptores tradunt; Lucensibus nihil interesse ratis, ferro an auro hostes vincerentur. Revocata ad obsequium populi lucensis Versilia, lignea turris ad Viaregium, quod etiam ad mare castrum dicebatur, extrui iterum coepta. quo tempore Pisani quoque ad restituendum Mutronem animos adjecere. quippe cum irarum ardor consedisset, animadverso, quam opportuno loco se per imprudentiam spoliassent, eo cum fabris ac operis profecti, ne opus a Lucensibus disturbaretur, stationibus dispositis, ereptisque propugnaculis, late locum circa communivere. quare Lucenses quamquam saepius ausi, irrito incepto repulsi: eductaque in eam altitudinem mole, ut jam defendi posset, validum praesidium illi a Pisanis impositum. Ea res non lucensi minus, quam genuensi populo incommoda accidit: reputanti quantum liberis terra marique commeatibus, nova munitio obstaret. quare frangendae Pisanorum superbiae renovato a Lucensibus foedere, IV. peditum millia in auxilium se se daturos, suis stipendiis promisere. quapropter insequenti anno, is exercitus una cum Lucensium copiis, in pisanum agrum transgressus,

lateque vastatis agris, Librafactam quoque oppidum Pisanis ademit. quo tempore inter Lucenses, Senenses, Pistoriensesque foedus initum, adscriptique ei foederi Guidii proceres, contra Florentinorum voluntatem, qui ob eam rem indignati foedus in XL. annos cum Pisanis sanxere: quod illis praecipue saluti fuit. Nec id sane Lucensibus grave; Florentinos, hostes ac otiosos amicos perinde aestimantibus. Per id bellum Pisani Miniatenses a lucensis populi fide abstraxerant. quare Lucenses eorum oppidum aggressi, eoque potiti, illud ferro, flammisque delevere. eadem clade Fuscanum affectum. nec absimili fato Mons Arcanus, et alia quaedam oppida, Lucensium armis absumpta. eodem ultionis impetu in rebellantes saevitum. Bozanum ac Montravantum, in paludibus non longe a mari, lucensis agri oppida, nobiles quidam ex Ubaldorum gente, Pisanis tradiderant. quod ubi Lucam nunciatum, statim eductis copiis in hostes processum. cumque sibi utraque acies, in litore maris occurrisset, commisso praelio, haud minoribus odiis, quam viribus certatum. sed cedente Pisanorum acie, ac mox in fugam versa, oppida ea victoria recuperata, ruinisque ac flammis deleta. Eodem, quo paulo ante Alexander pacis studio, Fridericus caesar Christianum Moguntinorum antistitem in Etruriam de-

stinavit, ut praecipue inveterata, ac acerba Lucensium, Pisanorumque bella componeret. is primo Genuam, deinde Lucam, postremo Pisas progressus, magnoque honore, ut legatus caesaris, ab iis populis exceptus; ad Genesii vicum, in plano ad Miniate oppidum situm, consulum omnium Etruriae civitatum, ac praeterea Genuensium, qui cum Lucensibus adversus Pisanos societatem inierant, conventum indixit, quò cum convenissent, antistes ut erat disertus ac eloquens, cum copiose pacis bona disseruisset; cladesque quibus tot annis Pisani Lucensesque, omnibus circa populis ruina sua involutis, attriti erant, non minus facunde quam vere deplorasset; nullo satis digno tot laborum, auri, sanguinis fructu: ea oratione animis omnium ad amorem pacis conversis, Pisani soli obstitere: causati nimium Moguntini in Lucenses studium. quorum superbiae contumaciaeque ille offensus, consules e conspectu abire jussos in custodiam deinde misit, una cum legatis Florentinorum, inter quos fuit Joannes Donatus, quod Pisanorum causam pervicacius defendissent. ademptis praeterea pisanae civitati omnibus caesarum privilegiis ac immunitatibus: edictoque ut Corsica ac Sardinia, tamquam ad imperii jus spectantibus abstinerent: interdicta etiam monetam in posterum cudendi potestate. Ea injuria Florentini,

Pisanique accensi ; statim collectis viribus, illi ad Florentinum castrum Elsae flumini appositum; hi ad Erae pontem adfuere, eo consilio ut legatos, consulesque per vim e custodia eriperent. Sed Lucensibus, una cum Senensium, ac Pistoriensium, Guidonisque comitis copiis, ad opem Moguntino ferendam accurrentibus, prohibiti : consulesque Lucam transmissi: unde tota armorum tempestas in Lucenses versa. quippe divisis copiis Florentini ab oriente lucensem agrum ingressi, Lunatam usque cuncta depopulando, praedasque hominum pecorumque agendo pervenere: Lucensibus, tamquam pace jam composita, nil tale opinantibus. Pisani vero ex altera parte, usque ad D. Petri vicum pontemque transgressi, eam regionem pari clade affecere. quod ubi Moguntino nunciatum, statim una cum exercitu Lucensium, quidquid Germanorum militum apud se habebat, ad impetus hostium coercendos submisit: praeterea Guidone regulo cum CC. equitum manu ad depopulandam regionem Erae flumini adjectam, in pisanum agrum ire jusso. eorum adventu territi hostes, lucensi agro, excessere, ut paulo post novis viribus aucti, majore belli mole adessent. nec res in longum dilata. nam adjunctis sibi Miniatensibus, ac Volaterranis, lucensem agrum a maritima ora vastare aggressi, novam ad Viaregium munitionem

occupavere. inde populationibus, usque ad vicum pontemque D. Petri iterum progressi, cum obvias Lucensium copias habuissent, Librafactam recessere. Unde iterum regressi, ad pontem Flexum Aesari impositum, commisso praelio, dum nostri impetu magis quam consilio pugnam ineunt, coacti dare terga hostibus, usque ad memoratum D. Petri vicum cedendo pervenere. ibi cum Turcio consule, duobusque ejus filiis, quorum spectata in bello virtus erat, urbanis militibus, e D. Frigdiani regione in subsidium supervenientibus, cum animos collegissent; ultro ad requirendos hostes progressi, prope Bozanum in paludibus obvios habuere. nec detrectavere nostri certamen, quamquam longe impares numero. tanta amissi decoris recuperandi cupido incesserat. nec mora interposita, quin statim acies concurrerent: magna utrinque animorum contentione: dum Lucenses conceptam maculam, insigni aliquo facinore abolere festinant; Pisani partum decus eripi sibi a paucioribus indignantur. sed praeter numerum quo foederatorum exercitus longe superabat, illud etiam iniquum Lucensibus erat, quod obversis in solem vultibus, usum pene oculorum in pugna amiserant. quare nec certo ictu librare tela poterant; et ipsi conspecti ab hostibus, impune caedebantur. cumque prope esset, ut superante multi-

tudine, in ea loci iniquitate, ab hostibus circumvenirentur; tantus injectus pavor, et ex pavore desperatio, ut fuga undique circumspiceretur. nec dubium erat, quin is locus memorabili nostrorum clade nobilitaretur; cum consul Turcius, consternatione militum animadversa, » in eum, inquit, locum nos fortuna conjecit, » ut, aut vincendum, aut moriendum, milites, » sit. mortem naturae debitam, patriae, gloriae- » que impendamus: ostendamusque posteritati, » victoriam nobis, malignitate fortunae adimi, » virtutem non potuisse». quibus verbis, tanta repente alacritas ex desperatione incessit, ut redintegrato praelio alios milites, alium exercitum diceres. adeo cum animis vires quoque creverant. itaque passim hostes caedebantur, ruinaeque potius, quam pugnae res similis videbatur. Consulis liberi praecipue exemplo erant, quorum strenua in bello opera, animum ardoremque aliis addebat. itaque circa illos maxime pugna fervebat: tantoque impetu proculcati hostes, ut ex trium populorum exercitu, ii soli superfuerint, quos fuga, timorque in diversum abstulit. tanta enim caedes extitisse dicitur; ut sanguinis rivi decurrerint; paludesque late caesorum cruore infectae, colorem mutaverint. periere in ea pugna, e pisana nobilitate insignes viri, Henricus Canis, Marcucius Gaetanus, et Albertus Bulsius.

Insequens annus Lucenses Pisanosque, praeteritis praeliis fessos, quietos habuit. parvis tantum velitationibus ad arcem Guidingam concertatum; quam Conradus Gaiferrus, a Veltri corvariensis filiis, lucensi populo accepta pecunia jam ante traditam, per dolum, pulso Lucensium praesidio, occupaverat. quippe dum Lucenses, Corvariae, caeterisque oppidis, unde praeteritis temporibus crebra belli materies, evertendis intenti vacant, fallaci homini eam arcem invadendi occasionem praebuere. quam deinde Pisanorum ope, qui mari illo accurrerant, novis munitionibus firmatam, tenuit. Eodem anno Chiozanum a Lucensibus captum incensumque, consule Rolandi filio: nobilesque Suffredingae domus cum Lucensibus foedus iniere. inter cujus leges id cautum, ut in auxilium lucensis populi sumptum in milites facerent. in urbe nonnihil cladis acceptum, incendio duobus locis excitato: altero ad D. Georgii, prope vetus theatrum, altero in angiportu, ubi tunc quaestum corpore facere assuetae habitabant. Relatum hoc anno in cardinalium collegium, Lazarum quemdam lucensem ex ordine Minorum, ab Alexandro pontifice, nostri consensu affirmant. sed eos ratio temporum coarguit. cum ea aetate Franciscus illius ordinis institutor, nec dum natus esset. certiore fide inter decora

civitatis referre possumus, ab eodem Alexandro in senatum adlectos Arduinum, et Matthaeum, e basilicae D. Frigdiani collegio; quod tunc sanctimoniae sapientiaeque fama, toto orbe florebat; e quo tamquam ex cardinalium pontificumque seminario, dudum Lucius II. et Hubaldus ejus gentilis, Caccianemica Bononiensi familia orti prodierant. Otium ab armis, ad urbem muniendam traductum. itaque proximo anno vici moenibus continentes ad septemtrionem muro circumdati: qua munitione basilica D. Frigdiani intra urbem recepta. Eodem anno Montravantum in paludibus maritimis oppidum, a Truffa Mezolombardo ejus domino, lucensi populo collatum. quippe illorum temporum more nobiles proceresque habitare solebant, non in urbibus, sed in oppidis arcibusque, quibus imperitabant: huic, vel illi populo, cui propinquitate aut alia necessitudine innexi erant, opem in bellis ferre assueti: donec vi aut pretio ea loca paulatim in reipublicae potestatem venere: quibusdam etiam illa sponte tradentibus, ob idque in civium nobilium numerum receptis; ut suis temporibus memorabimus. Pacis spes biennio ante per moguntinum antistitem Etruriae ostentata, hoc tandem anno sancita est. quippe cum Fridericus iterum alpes transgressus, in Galliam Cisalpinam venisset, Tusciae urbes paca-

turus, legatos consulesque e singulis Ticinum advocavit, cum quibus de communi re ageret(1). ivere e Lucensibus tres consules Alcherius Turcii filius natu maximus, Lambertus Antelminus, et Guasco Giliolus; quibus lucensis populi nomine sacramentum concipientibus, pax cum Pisanis in eas leges firmata, ut Lucenses munitionem ad mare excitatam demolirentur (2), oppidumque Viaregium caesari servandum traderent: Pisani contra a cudenda lucensi moneta abstinerent: cum id jam diu occulte avaritiae instinctu fecissent. Laetam insueta pace urbem, insuper adventu suo erexit magnus civis Hubaldus Allucingus, qui insequenti anno, dum legatus Ticinum ad Fridericum imperatorem pontificis maximi nomine proficisceretur, patriam invisit: effusa in ejus occursum universa civitate; summisque honoribus exceptus deductusque: cum illum et senatoris et legati amplitudo, virtutis opinio, ac anteactae vitae fama, tum gravis, et decora senectus venerabilem redderent (3). utque cupientium mos, alii viri sanctimoniam, alii dignitatis amplitudinem, gestosque honores, alii oris majestatem tuentes, majus illi fastigium de-

(1) Sigon. lib. 14.

(2) Tabular. Episcop. ✠. M. n. 80.

(3) Acta Alexandri III. apud Baron. Tom. 12 Ann. 1175.

cusque taciti ominabantur. Et laetus is annus ierat, nisi commune Italiae malum, annonae caritas, civitatem quoque sollicitam habuisset. quippe cum per Galliam Cisalpinam, aliarum urbium eversione, aliarum oppugnatione, jam diu cuncta bello arderent: Tuscisque mutuis armis tot annos implicitis, deserti incultique agri, aut populationibus vastati, ad summam inopiam populos redegerant: adeo ut sex solidis singuli frumenti modii Lucae venales essent. ex alia quoque parte sollicitudo incesserat ex Friderici indignatione; ne princeps ultionis avidus, perniciem aliquam civitati moliretur. nam ejus legatos ad pontificem profectos, Lucensium magistratus recipere noluerant: jusque gentium, in eoque majestas imperatoria pene violata, ingentes metuendi causae videbantur. Sed is scrupulus civium animis, clementia caesaris exemptus est: eam injuriam, tamquam paucorum consilio profectam, remittentis. Insequentem annum, nulla re insignem proximus excepit; toti christiano orbi laetus, pace inter Fridericum imperatorem, et Alexandrum pontificem composita. cum is princeps, abjecta demum animi ferocia, se se ad pontificis pedes advolvisset: majestatem illam humano fastigio altiorem professus. qui paulo post in Germaniam reversus, biennio inde Tancredum ad exigendum censum,

qui domus Mathildis dicebatur, Lucam misit. quo anno idem imperator cunctis Tusciae urbibus, incertum ob quam causam, agrum, quem comitatum appellant, ademit. praecipua in communi damno Senensium calamitate: quorum civitas post longam obsidionem tandem capta, et maxima ex parte muris nudata (1). Per idem tempus cum Romae in Laterano, Palaestinorum terris a barbarorum servitute vindicandis, ab Alexandro pontifice e toto christiano orbe sacerdotum conventus haberetur, Italis passim sacrae militiae nomen dantibus, crucisque tesseram capientibus, Lucensium praecipue ac Florentinorum ardor emicuit: qui prae caeteris Tusciae populis in pium bellum vires contulere. Insequenti anno Bononienses in publicis populi comitiis sanxere, ne qui eorum dominationis esset, alia quam lucensi moneta uteretur: eaque de re legatos misere, legationis principe Ildebrandino, divini humanique juris peritissimo; qui apud lucenses consules id populi scitum sacramento sancirent. in eaque verba, omnes mercatores ac mensarii bononienses juravere. ob id meritum nummus ex aere argentoque percussus, quem in honorem ejus populi Bononiensem (2) dici placuit. Nec Bononienses

(1) Ptolem. Lucens.
(2) Bolognino.

modo egregiam erga lucensem populum voluntatem praetulere, sed eo qui successit anno, Guido, quem Burgundionem vocabant, qui Summano, Verruculae, Serraeque oppidis ad Naevulam amnem imperitabat, foedus cum Lucensibus iniit. quo se in auxilium lucensis populi, si quando adversus Pistorienses bellum oriretur adfuturum, sacramento pollicebatur. Suffredingi quoque, quorum ea tempestate, plurium oppidorum dominatione clarum nomen habebatur, id exemplum sequuti, in lucensis populi fidem societatemque concessere. Longe majus lucensi populo decus fortuna struebat, Hubaldo Allucingo ad summum pontificatum evecto: quem Alexandro post longum ac turbidum principatum VI. Kal. septembris in media pace gloriaque extincto, patres biduo post, summo consensu suffecere. qui Lucii III. nomine assumpto, egregia laude sacerdotium tenuit. Erat Lucius vetusta sanguinis claritudine nobilis, exacta jam aetate, viribus corporis effoetus, sed consilio animoque validus, ac maximis negociis par, quorum experientissimus erat. sacri collegii diu princeps; quique ante annos XL. in senatum adlectus, sex pontificibus maximum principatus munimentum extiterat. pluries in Galliam, semel in Siciliam ad Gulielmum regem, bis ad Fridericum imperatorem legatus: quem sacerdo-

tali constantia fregit; diuque contumacem, Ecclesiae tandem conciliavit. Regum auro muneribusque inaccessus, ob eamque abstinentiam a Thoma cantuariensi clarissimo martyre, prolixe laudatus. ingenio miti, pacisque amante; literisque, quantum imperaturo satis erat, instructus. Harum virtutum ambitione summum sacerdotium adeptus, quo tanti imperii curis in ea praesertim temporum asperitate sufficeret; senectutem suam Huberto ac Gerardo gentilibus suis, in sacrum collegium adscitis, suffulsit. quorum Gerardus insigni morum honestate, rebusque arduis tractandis prudentia, a Lucio in Umbriam, a Caelestino III. in Galliam, ab Innocentio III. in Siciliam legatus, tutorque Friderico regi regnoque datus. Amplissimam dignitatem civi suo Lucenses honorifica legatione gratulati, illud insigne ad decus commodumque civitatis retulere, ut toto pontificii imperii tractu, ac insuper Etruria, Campania, et Apulia, etiam Friderico caesare approbante, moneta lucensi in commerciis, tam indigenae quam peregrini uterentur. quo tempore magis, quam antea, in pretio haberi coepta: frequensque occurrit illius in pontificum diplomatibus mentio. Duplex enim iis temporibus per Italiam moneta celebrabatur, Lucensis et Ticinensis. hujus in Gallia Cisalpina crebrior usus: lucensi vero

urbes pontificias partes sequutae vulgo utebantur: nota Lucensium erga summum sacerdotium romanamque ecclesiam veneratione. Ad eamdem pontificis maximi auctoritatem, referendam censeo solidam pacem, quae insequenti anno inter Lucenses Pisanosque, majore quam antea temporis spatio inviolata, tandem coaluit in has leges, quas pisani consules juravere: ut Pisani Lucenses eodem jure quo cives in posterum haberent (1): damnumque si quod per Pisanos eorum reipublicae inferretur, publice praestarent. lucensi populo bellum alicui inferente, ne Pisani arma, milites, aut aliud auxilii genus praeberent. eademque a Lucensibus invicem sacramento Pisanis promissa. adjectum, ut oppida lucensis antistitis, quae Pisani occupaverant, libera eidem permitterentur. alias conditiones, de mercium commeatu, de diruendis aut non extruendis arcibus, de Corvariae restitutione, ac florentino foedere, affert ex occultis tabulis, recens Pisanorum annalium scriptor (2). Nos quae jam diu in publica literarum luce versantur, a Ptolemaeo notae fidei scriptore memoriae prodita, sequuti, quic-

(1) Ptolem. in Annal.

(2) Troncius

quam addere, aut detrahere, religioni duximus. Eodem anno Catinenses, quorum oppidum ad Naevulam amnem in edito monte a reliquiis exercitus Catilinae, ut quidam credidere, conditum visitur; in fidem lucensis populi concessere. Id quoque agri, quod Lavani, Guissianaeque paludibus siccatis relictum erat, ac praeterea quicquid amnem Pissiam paludesque ad Sextum lacum interjacet, eidem populo adjudicatum. Dum Lucius pontifex pacandis Lucensium Pisanorumque odiis studet; ipse magnis implicitus difficultatibus, in ea fortuna fugam exiliumque meditabatur. Idem libertatis amor, qui Etruriae populos urbesque, ad excutiendum Germanorum caesarumque jugum accenderat, populo romano jamdudum eam mentem obtulerat, ut paternum ac mite summorum pontificum imperium exuerent. Creatis proinde magistratibus, senatuque ad veterem formam, antiqua decora, sepultamque rempublicam restituere laborabant. Exarserat ea cupido Innocentio II. pontifice, pestiferi hominis Arnaldi brixiensis instinctu: qui pravas de religione opiniones serere non contentus, civilem quoque statum seditione turbaverat. unde plures Romae tumultus exorti, insequutos pontifices Lucium, Eugenium, Hadrianum, ac novissime Alexandrum, praeter diuturnae diraeque secessionis calamitatem, infestum sollici-

tumque habuerant. Decreverat Lucius, ut erat animo constanti, Romanorum contumaciam ac spiritus frangere: coactisque in ordinem senatoribus, imperium urbis solus obtinere. Sed cum ejus consilia, nondum comparatis quae opus erant, permanassent, tantus repente furentis populi motus extitit, ut majestate sua non satis tutum se arbitratus, primum Velitras ac Anagniam in Hernicis, inde in Etruriam Galliamque Cisalpinam, Veronamque demum Rhaetorum urbem processerit: ubi sanctus senex aetate ac laboribus confectus, in maximis pro republica christiana conatibus extinctus est. Eo igitur itinere, cum Lucam sibi visendam, praesentiaque sua honestandam putasset, illam inter fausta acclamantium voces intravit. universis obviam effusis, eaque pompa laetitiaque exceptus, qua et summum mortalium, et tanti fastigii civem decebat. nullo se non beatum felicemque reputante, quem superi post tot bellorum clades, tanto patriae decori spectatorem testemque servassent. Simul fidem ominibus constitisse, quae de illo novissime conceperant, aperto gaudio laetabantur. Dum Lucae pontifex moratur, basilicae martinianae collegii sacerdotes, quorum ipse aliquando unus extiterat, seu novis ornamentis auxit; seu vetera sua auctoritate rata esse jussit. Inter divos quoque eo-

dem tempore relatum, consecratumque Silaum, ex ultima Hibernia Lucam olim advectum a Lucio quidam nostrorum prodidere (1): sed nullo veterum tabularum testimonio; quae profecto sollertissimum antiquitatis scrutatorem Florentinium (2) minime latuissent. Luca digressus Lucius, Bononiam VIII. Id. iulii pervenit: ubi basilicam D. Petri incendio absumptam, atque ejus populi liberalitate magnificentius instauratam solemni ritu dedicavit: turrimque coeptam, tribus contignationibus adjectis, altius educi imperavit (3). Inde Mutinam progressus, III. idus basilicam in D. Geminiani honorem, in cujus tutela Mutinenses sunt, tunc forte absolutam consulum rogatu, praesulisque ravennatis, cujus provinciae tunc Mutina accensebatur, eadem celebritate dedicavit. cujus populi erga sanctum pontificem studium memorabile extitit. quippe urbe excedentem, supra duo hominum millia cum cereis facibusque ad mille passus prosequuta. quod ubi pontifici, quem is comitatus latuerat, nunciatum, lectica stare

(1) Nicol. Tuccius in Hist. Lucens. MS. et Caesar Franciottus in Vita.

(2) Florentin. in Vita D. Silai.

(3) Albert. lib. 8. Decad. 4. Hist. Bon.

jussa, obortisque tantae pietatis imagine lacrymis, fausta illis eorumque civitati, e coelo precatus, laetos simul lacrymantesque dimisit. cujus insignis facti Mutinenses in majoris basilicae fronte memoriam extare voluerunt. Deo in hunc modum sancto seni aerumnas allevante, cujus exilium omnibus triumphis gloriosius reddebat. Mutina Veronam iter ad colloquium Friderici imperatoris direxit: quo etiam concilium sacerdotum indixerat: eamque urbem celebri apparatu una cum caesare pridie Kal. augusti intravit. ibi omnium mortalium maximis in unum convenientibus, praecipue actum de expeditione in Palaestinorum terras, quae ante a barbaris premebantur, deque frangenda Romanorum superbia, qui jam diu summis sacerdotibus precarium imperium fecerant. contendit etiam a pontifice Fridericus, ut Henricum filium diademate imposito, Augustum consecraret: quod ille magno, constantique animo aversatus est, nisi prior ipse Mathildis haereditatem romanae ecclesiae remitteret. Sacerdotes quoque, qui per secessiones praeteritas a romano pontifice rebellaverant, recipere in gratiam noluit. causamque eorum ad concilium antistitum, quod Lugduni in Galliam habere meditabatur, rejecit. quae magna ac praeclara agentem molientemque, mors ingenti christianae rei damno luctuque

Veronae intercepit, cum annos IV. menses II. dies XXVIII. in summa fortunae varietate regnasset. corpus in basilica principe, egregii operis tumulo conditum: inscriptis versibus, qui patriam, honores, fortunae varietatem, locum mortis indicarent, ultra rudis aetatis ingenium elegantibus. Sepulcrum usque ad avorum aetatem mansit: disjectum deinde laxando basilicae spatio, a Matthaeo Giberto, defossis humo cineribus, novoque titulo adjecto cum insignibus Allucinghae gentis restauratum. Decessit anno MCLXXXV. VII. Kalendas decembris: ejusque mortis dies a martinianae basilicae sacerdotibus ad hanc diem in tanti collegae memoriam, funebri sacro rituque colitur. Et quidem ea mala deinde consequuta sunt, ut optimo seni non erepta vita, sed donata mors fuisse videatur. Quae Lucii gesta in unum conferre visum: majorem gratiam habitura, quam si sparsim memorata essent. Et quoniam magnorum virorum etiam parva delectant, in honorem antiquitatis illud etiam adnotare non pigeat, veteres Allucingorum aedes ad D. Juliae stetisse, cernique adhuc turris quadrato saxo extructae ingentia vestigia, priscarum opum potentiaeque documenta. forumque adjectum, in antiquis tabulis Papae Cors appellatum, huic famae suffragatur.

Caeterum eo quo Lucius in Tusciam Lucamque venit anno, Lucenses suburbanum D. Genesii vicum, ad radices Miniatensium extruxere: quamquam iis reclamantibus: quod in plano situs, faciliorque commeatibus, paulatim futurum videbant, ut deserto oppido frequentaretur. Eodem anno, ab Alcherio Pagano consule Carbonarias aedificatas, Ptolemaeus in annales retulit (1). Mortuo Lucio Henricus Friderici imperatoris filius, in quem ipse jam Italiae regnum transtulerat, ereptum a patre tuscis urbibus jus intra sex mille passus, exemplo Othonis magni, Henricique secundi, Lucensibus reddidit: aliis quoque immunitatibus ac privilegiis, eorum reipublicae adjectis. Funestus is, qui successit annus, christiano orbi extitit, capta per Saladinum sacra Jerosolymorum urbe. quo tristi nuncio Urbanus III. qui Lucio successerat, aegritudine animi ad Forum Allieni (2) extinctus est: Gregorio VIII. quem illi patres suffecerant, intra LVII. dies Pisis mortuo, quo se ad comparandam in barbaros expeditionem contulerat. Gregorio suffectus est Clemens III. ad quem Pisis commorantem, Lucenses Rolandum Malapresa

(1) Ptolem. in Ann. ad ann. MCLXXXVI.

(2) Ferrara.

oratorem misere; qui ei dignitatem publice gratularetur, militesque in sacram expeditionem offerret. quem gratanter acceptum, multoque honore habitum dimisit: Gulielmo civitatis antistite in id bellum conscribere milites, crucisque tessera insignire jusso. hoc anno, cum Furnulum, ad Aesaris Limaeque confluentes oppidum, saepius rebellasset, a Lucensibus solo aequatum. quod idem Montravanto contigit; quod jam ante eversum restitutumque, hoc anno denique, cum Pisanorum opera iterum defecisset, flammis absumptum. Insequenti anno Clemente pontifice conciliante, pax inter Genuenses Pisanosque Lucae sancita. interfuere legibus firmandis Gulielmus civitatis antistes, praetorque urbanus Alcherius Vecchius: nec non consules regionum Aldibrandinus Malpili, Borcarinus Antelminellus, Guido Uberti de Fralmo, Salamoncellus, ac Ildebrandus Gottellius, pluresque e Lucensi nobilitate: quorum nonnulli in tabulis summi pontificis nomine confectis memorantur (1). Dum Lucae alienae paci consulitur, in ipsa urbe intestinum bellum exarsit. Regionarii D. Frigdiani adversus incolas regionis suburbanae ad arma ivere. Regio D. Donati alteri parti favebat; ab

(1) Troncius ann. 1188.

ab altera caeterae regiones stabant. itaque collatis signis praelium commissum. utque in civilibus discordiis mos est, in quibus plus odia quam causae valent, obstinate utrinque magna clade certatum. locus pugnae in extrema urbe, seu casu seu consilio lectus, quem nunc quoque ex antiquo nomine Fractam appellant: sive ab hortorum sepibus, qui in ea regione frequentes, sive alia causa, quae posteros fallit. Materia dissidii pons ad D. Leonardi aedem, quem utriusque regionis incolae suum vindicabant. praelium praetoris urbani (Paganus Ronzinus hic erat) occursu diremptum: ejusque imperio quisque intra regionis suae fines relegatus, donec sincera pax coalesceret. cui constituendae, Florentinos, ut amicos sociosque adfuisse, Ptolemaeus est auctor. Lucensibus domestica seditione occupatis, Miniatenses Genesii vicum aggressi, illum evertere tentavere. Sed praetore urbano, raptim collectis copiis, accurrente, vicus receptus: agerque Miniatensium multatus, populationibus praedisque in eo actis: ex eaque expeditione, milites onusti spoliis Lucam rediere. Eodem anno Veneris incolae, qui pagus non longe ab amne Pissia ad orientem situs est, nec non Vallechienses praetori lucensis populi fidem juravere. Per idem tempus Clemens pontifex maximus in numerum cardinalium

e collegio D. Frigdiani Bernardum cooptavit: inani Frigdiani Navensis nomine, quem in eumdem senatum conscriptum, nostri constanter retulere: nullo romanarum tabularum testimonio, ad quas hujusmodi rerum fides revocanda. Insequens annus, profectione christiani exercitus in Palaestinam, memorabilis fuit. Duce ejus expeditionis Friderico imperatore; piaculo scelerum, quibus romanam ecclesiam vexarat. in ea non ultimum locum pietas Lucensium tenuit: sex triremium classe in subsidium adornata: cujus praefecturam Ninus nobili Obiciorum gente, populi jussu gessit. in eoque praelio, quo cum barbarorum classe in lycio mari pugnatum, Obicius duas hostium naves captas Ptolemaidem perduxit (1), Tuscorum carminum principi celebratus (2): quamquam poetarum more id factum ad expeditionem sub Urbano II. Godefrido duce referenti. Hoc anno Lucae tumultuatum: expulsique urbe consules, quod antistiti Gulielmo, Alcherioque praetori parere noluissent (3). Felicem in oriente armorum cursum, Friderici imperatoris repentina mors turbavit: qui insequenti anno, in Serra ignobili Minoris Armeniae fluvio, cum lavandi studio ingressus,

(1) Scottus in Itiner. Italiae.

(2) Tassus cantu I, stropha 56.

(3) Tabular. Hospital. Misericordiae N. 2, 403.

magno suorum luctu submersus est. Princeps, belli pacisque artibus, veterum augustorum gloriam aemulatus, aeternaque fama ac memoria dignus, nisi tot egregias naturae fortunaeque dotes, turbata religione, exagitatisque summis sacerdotibus corrupisset, magno coelestium consiliorum arcano, sceleribus quam pietate felicior. Ejus morte Italiae urbes, ac praecipue Tuscorum, quae vim illius potentiamque metuerant, attollere se, ac respirare visae. tantum libertatis futurum sibi experiendo edoctae, quantum inertiae socordiaeque caesaribus fuisset. Friderico mortuo, Henricus filius jam regni ac imperii socius, fine hujus anni, superatis alpibus in Italiam trajecit: ac insequenti ineunte Cremonam, inde Bononiam; transmissoque Apennino, Lucam februario exeunte intravit. a Lucensibus honorifice exceptus non civitati modo, sed etiam basilicae martinianae sacerdotibus, vetera caesarum privilegia, patrisque in primis, rata esse jussit: eos, uti pater quoque fecerat, honoris causa fratres appellans, ut antiquae tabulae testantur. nec imperatoria liberalitas intra publicum stetit. Erat, inter nobiles qui ejus lateri haerebant, Grandonius lucensis Ubaldi filius, illi ob virtutes in paucis carus. cui ut pro meritis gratiam referret, plurium oppidorum jus tribuit, inter quae praecipua Villa Basilica, forum Clo-

dii,(1) fanum Quirici ad Arianam Fluvium, ac in montanis Pariana, et Bovelium: ea conditione, ut in lucensis populi fide esset, legibusque Lucensium viveret. Proximo anno Vallechienses reguli, in fidem lucensis populi concessere, traditis arcibus oppidisque Guidoni Paganello praetori urbano consulibusque Bernardo Macacioro, Rolando Sornachio, et Gulielmo Aliotto, qui ea lucensis populi nomine recepere, ipsique inter patricios adlecti. Nec deditione tantum, sed etiam emptione dominationi augendae Lucenses studebant. nam biennio post a Raymundis qui inter nobiles dynastas ejus temporis numerabantur, Silvam Regiam, Montemque (2) Filetrum Mathildis beneficio ab illis possessum, pecunia redemere. quo loco arx ad explorandum pisanum agrum erecta. nam licet ab ea tum parte quietae res essent; tamen infida praeteritorum temporum pax, haud diuturnam felicitatem spondebat. Et quidem adversus tam validos pertinacesque hostes, nullum munimenti genus, majores nostri omisere, omnibus locis, quibus e pisano agro in lucensem aditus est, arcibus turribusque vallatis. quarum et antiqui annales meminere, pluribusque in locis ruinae adhuc extantes, fidem literis adstruunt, nam

(1) Collodi.

(2) Filettori.

et in Juliano monte turrim extitisse, rudera murorumque pars nondum disjecta monstrant: et ab ea non longe ad proximum D. Virginis fanum alia turris in sublime erigebatur. ubi in plana descenderes, ad Massam Pisanam castellum excipiebat. inde ad Auseris pontem (1) iterum turris; ab eaque vix unius stadii itinere ad Lazari fanum per aliam turrim transeundum erat: cujus vestigia solo adhuc extant. At vero per montis dorsum, qui a meridie Pisanos Lucensesque dirimit, laevo itinere cis Aesarem castrum Passerinum, arx ad Cerasummam, et in planitie Flexa, ac Montolium extructa erant. ultra flumen vero, in ejusdem montis dorso Castilioncellum et Cotonem opposuerant: et in jugo montis ad lacum cui Massaciuccolo nomen, Aquilatam, molibus adhuc ruinisque superstitem. Sed omnium munitissimum Nuptianum, praeruptae abscissaeque rupi ab omni parte impositum; nec situ tantum, sed et operibus validum; usque a Mathildis aetate, claustrum Pisanorum excursionibus objectum. quam curam haud ex supervacuo ortam, et praeterita et quae post consequuta sunt bella ostendere. Praeter Silvam Regiam, Filetrumque, Aghinolphum

---

(1) Ad Pontem tectum.

quoque celebre Versiliae oppidum de Truffa emptum. in quo novis operibus arx excitata. Aquilatae, de qua paulo ante dictum, ad Massaciuccolum lacum, dominabantur Balbani proceres; ex quibus Lucae nobilis Balbanorum familia, viris illustribus clara. quod oppidum paucos ante annos, de Tasca nobili Pisano, Ugolinus Balbanus gentilium nomine emerat. Eorum rationibus commodum erat, si campestris ac montana regio circa Balbanum, ad proximum Aquilatae pagum accessisset. Itaque a lucensi populo illis insequenti anno locata; vectigali imperato, quod in singulos annos pensitarent. Eodem anno discordiis domesticis laboratum. Praetoris, imperium jamdudum consularibus familiis grave videbatur: tamquam majestatem vimque consulum premeret. itaque omni ope adnisae sunt, cum cognatis clientibusque, ut illud aboleretur. aliis contra praetoris jus tuentibus, ad arma itum: scissa in partes civitate, dum his aut illis plebs favet. Sed bono publico Lucae erat Pandulphus Cenamus, a quo nobile Cenamorum genus, patriae libertatique memorabile, a Philippo quem Henricus frater Etruriae regulum imposuerat, ad fiscos exigendos missus. hic in medium furentium progressus, mala discordiae facunde disserendo, eam seditionem in acrius malum erupturam, opportune sedavit. Ab eodem

Pandulpho literas Constantiae Augustae in concione recitatas, quidam nostrorum tradunt: quibus auctam se virili prole Lucensibus tamquam romano imperio fidis significabat. literae certe in publico tabulario adhuc extant, Trani Apuliae urbe IV. id. aprilis Indictione XIII. datae; quae in annum centesimum nonagesimum quintum incidit. Et quidem, nisi futurae mortalium res, in occulta caligine versarentur, haud magnopere de ejus pueri ortu laetandum erat: qui deinde adultus, siculo regno, ac dein romano imperio, Friderici II. nomine potitus, ecclesiae romanae religionisque odio avum superavit, filiis Conrado ac Manfredo eodem scelere imbutis. quae suis temporibus, uti rerum nostrarum affinitas poscet, in transitu memorabimus. de cujus infantis regii natalibus, non congruit apud scriptores temporum ratio (1): cum alii anno 1192, alii 93, quidam 96 partu editum memoriae prodiderint: non ab re incerto ejus nativitatis tempore, quem omnino non nasci oportuisse constabat. cum etiam non defuerint, qui augustae jam senio effoetae suppositum, in annales retulerint: aliis contra eam calumniam vegeta puerperae aetate, florentique sanguine purgantibus. eo qui successit anno, Philippus Etru-

(1) Ptolem. Lucens. Baron. Tom. XII. et Godefr. Viterbien. Sigon. Lib. XV.

riae regulus, omnia veterum regulorum, caesarumque privilegia, lucensi populo rata esse jussit. Insignis is annus casu duarum turrium in foro extitit, quae ruina sua multos mortales oppressere. earum alteram Cari, alteram Spiafames extruxerant: quarum familiarum prior jam diu, posterior in Gallia, quo se forte ob bella civilia crebrasque tyrannorum mutationes contulerat, novissime defecit. Extat adhuc vetus ejus gentis sepulchrum, ad D. Joannis aedem in Baptisterio, a Jacobo Spiafame, Nivernensium antistite instauratum: viro alias illustri, et qui Tridenti cum caeteris patribus assederat, nisi turpi desertae religionis labe, et in Lemanam urbem transfugio, gloriae suae maculam induisset. Et quoniam turrium urbanarum mentio incidit, eas ut in caeteris Tusciae urbibus, Lucae frequentes fuisse comperimus: in quarum fastigiis consitae arbores, pensilium hortorum imaginem, longe intuentibus referebant. ingentia in domorum angulis vestigia quadrato saxo fidem adstruunt. quippe nobilium is usus erat, claritudinisque insigne habebatur, turrim aedibus inaedificatam ostentare: in quas per seditiones ac civilia bella, iis temporibus ob Guelphorum ac Ghibellinorum factiones frequentissima, tutus ab hostibus receptus: congestis eo pretiosissimis quibusque, alimentisque in lon-

gum tempus, ad tolerandam obsidionem. nec non frequenter ex iisdem telis missilibusque pugnatum, cum hinc inde dispositis machinis, jacula in adversos excuterentur. quarum molium partem Castruccius Augustae arci extruendae evertit, aliae ob vetustatem collapsae, aliae similem cladem minantes, publico jussu fastigiis domorum aequatae: Guinisiorum, et Quartigianorum turribus tantum ex ingenti numero extantibus. quarum postremae publici horologii machina imposita, veteris claraeque familiae nomen vulgo detractum. Insequenti anno Henricus imperator in Sicilia decessit: mali parentis filius non degener: pejore prole, quae paternorum avitorumque scelerum haereditatem longe vinceret relicta. Puero Friderico, Constantia matre etiam paulo post defuncta, utroque parente orbato; ut sub magno aliquo exemplo adolesceret, ab Innocentio III, qui Coelestino per initia insequentis anni extincto successerat, tutor, rectorque in Siciliam Gerardus cardinalis Allucingus missus. is teneram regis aetatem honestatis consiliis imbuendo, magnae spei aluerat: nisi pravum ingenium, et regnum per se scelerum artifex, et mali consultores deterius fecissent. cujus illustris viri meritis, illud etiam debuit Fridericus, quod rebellantem Siciliam, Marcualdo defectionis auctore, ejus

opera in obsequio ac fide continuit. Henrico imperatore defuncto, Etruriae populi dulcedine libertatis, Philippi reguli exuta reverentia, inter se foedus inierant, ut se se adversus dominantes tuerentur. quod cum Innocentius pontifex contra summi sacerdotii majestatem factum censuisset; per initia principatus legatos in Tusciam misit (1), ad eas pactiones rescindendas, foedusque cum ipso ineundum, e cardinalium senatu, Pandulphum Mascam pisanum, et Bernardum lucensem; qui populi tunc in Etruria caeteris eminebant. cui cum Lucenses facile nomen dedissent, Pisani nimio caesarianarum partium studio, quo demum rempublicam amisere, ei foederi adscribi recusarunt. qua causa, tum etiam quod discordias cum Genuensibus publicae rei exitiabiles, finire noluissent, sacris amoti. Id foedus ut ex tabulis constat (2), III. Id. novembris, ad vicum Genesii sancitum. Nec ideo tranquillae domi res erant. Propter turbas praeturae abolendae, ut dictum est, exortas, aliquot annos is magistratus in republica cessaverat; summoque imperio ad consules redacto, cum ut quisque nobilitate, ac potentia emineret, ita ambitu, aut clientium factione consul renunciaretur, iterum seditio recrudnit.

(1) Sigon. lib. 15.

(2) Raynald. Tom. 1, ann. 1198.

Scissa in duas partes civitate, quarum unius caput erat Rodulphus Vivianus, alteram Loctus Chiatrius nutu agebat, initium discordiarum, quibus factiosi homines, duabus ex una civitatibus factis, diu rempublicam vexavere: cum ad id tempus, nullo certo duce, repentino aliquo casu populares tumultus exortos, non minus subita pax composuisset. Certatum saepius intra urbem, nunc in foris itinerumque occursu; nunc tela e turribus ingerendo. Sed id malum haud intra moenia cohibitum: quippe erumpentes portis seditiosorum acies, agros villasque invicem vastando incendendoque, infesta cuncta faciebant. quo tempore, qui medii in urbe substiterant, novis consulibus creatis, a mutua caede revertentes, objectis portis exclusere. e quibus, auctoritate consulum, praecipui seditionis auctores, urbe agroque pulsi. quorum plures Pisas migrantes, in eo irarum calore Bozanum in paludibus ad fines Pisanorum situm lucensi populo per defectionem abstulere. quare iterum ad praetorem reditum: creatusque Guido Hubertus, nobili ac praepotenti familia Florentiae ortus: qui oppidum ab hostibus receptum, funditus evertit. inde in hosticum transgressus, ac cuncta igni ferroque depopulatus, Metrum vi cepit, captumque solo aequavit. quo terrore Corvariae Montisque magni proceres, iterum

foedus societatemque cum Lucensibus renovavere : inque civium numerum recepti. Ubaldi quoque, qui Montravanto imperitabant olim perduelles lucensis populi, venia praeteritorum impetrata, in civitatem adlecti.

Finis Libri Tertii

LIBER IV.

BREVIARIUM LIBRI

Philippus, ac Otho de imperio certant. nova moenia extructa. patricii urbe pulsi. praelium civile ad Catinum. Porcariensis familiae potentia. Praetorem interficiunt. ob id proscripti. Otho imperator Lucensium privilegia sancit. Suffredingi stipendiarii facti. Sardus Massae Lunensis marchio victus. Civilis discordia. patricii cum plebeis confligunt. Guelphorum Ghibellinorumque nomina, primum in Etruria audita. DD. Dominicus et Franciscus florent. Lucenses ad sacrum bellum cum episcopo profecti. Massa Lunensis Sardo adempta. Tabularium corruit. Asceterium Virginum Gattajolae incensum. Fridericus II. Othone mortuo solus imperat. Parentius lucensis praetor, quae in sacros homines egerit. bellum inter Lucenses et Pisanos. nova arx in finibus Pisanorum extruitur. ipsi vicissim Morecium construunt. fusi fugatique a Lucensibus. Rotarium in Versilia extruitur. Antistes lucensis a collegio martiniano novo more eligitur. electio a pontifice improbatur, electus recipitur. Gregorius IX ob feroniensem provinciam Lucensibus gravis. sacra urbi interdicit: eam episcopali sede privat. conciliatur Lucensibus. Fridericus II. Lucam venit. plura oppi-

da in Versilia deleta. duae coloniae in Versilia conditae: Campus Major, ac Petra Sancta. Urbs incendiis deformata, terraemotus existit. Friderico in concilio lugdunensi imperium abrogatur. arma in Feronienses mota. Fridericus imperator moritur. Dux populi primum Lucae creatus. Pisani saepius victi. Manfredus neapolitanum regnum invadit. ejus mores. Pisani vincuntur. foedus cum Florentinis ictum. Sacri ordinis census Lucae actus. Guelphi ad Arbiam magna clade victi. nulla domus Lucae ea clade immunis. Luca Guelphorum asylum. Corpus D. Paulini repertum. legati ad Conradinum missi; quibus ille chlamydem suam dono dat, ea in basilica D. Frigdiani populo ostensa. foedus cum Gibellinis ictum. Guelphi exules Luca pulsi. Respublica a consulibus ad decem viros translata. Celebritas Corporis Christi ab Urbano IV. instituitur. Carolus dux Manfredum vincit. Lucensis praetor creatur. Lucam venit. Conradinus lucensem agrum invadit. Vincitur occiditurque a Carolo rege. B. Sita moritur. ejus elogium. Pisani pacem a Lucensibus petunt. Nicolai III. pro amplificanda Ursina gente conatus. B. Sita consecratur. Rodulphus imperator praefectum in Tusciam mittit. Vesperae Siculae. magnum aquarum diluvium.

Continet res gestas Annorum LXXXIV.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER QUARTUS

Gravior discordia christianum orbem premebat: Philippo Tuscorum regulo, Henrici defuncti fratre, Friderici Aenobarbi filio, ac Othone Saxonum regulorum sanguine de imperio certantibus, quorum uterque, scissis in diversa germanorum principum studiis, partum honorem vi et armis tuebatur. Unde inter ipsos praelia, et ex praeliis mutuae clades; ad alternos inclinante fortuna. donec Philippo per ludi simulacrum fraude caeso, solus Otho rerum potitus est. Etruscae res, composita per Lucium III. inter Lucenses Pisanosque pace, tranquillae. Sed ut ab externis hostibus quies, ita per civiles dissensiones saepius respublica turbabatur. interim tamen, dum nec a domesticis, nec ab externis malis labor, pomoerium prolatum, novis moenibus, ineunte saeculo decimo tertio extructis. foedus quoque cum Montismagni regulis renovatum; quo se illi ad alendum sum-

ptu suo militem, si quando Lucensibus bellum ingrueret, obstrinxere. et ne de eorum fide ambigi posset, foederis legibus cautum, ut belli tempore quatuor menses in singulos annos, pacis vero tres in urbe tamquam obsides habitarent. quo tempore Versiliae quoque reguli ac Miniatenses ultra ripam Arni, in fidem lucensis populi recepti. Insequens annus novis turbis initium dedit. nam cum nobiles, iterum de abrogando praeturae magistratu, consilia agitare coepissent, Guido Ubertus qui tunc eum obtinebat, quod vi amissurus erat, sponte remittere statuit, non sine acceptae pecuniae suspicione, qua eum a patriciis corruptum fama vulgaverat. quod ubi a populo rescitum, tantus repente furor incessit, ut Uberto cum principibus civitate pulsis, portisque acri custodia septis, Ingheramen Porcariensium stirpe, popularis factio praetorem creaverit; sacramento adactum, ipsum exules perduellesque lucensis populi ulturum. Primum novi praetoris opus, expeditio in Versiliam extitit, obsidendi Aginulphi causa. eo Ingherames cum urbanis militibus profectus, ad Brancalianum vicum, ubi nunc Capetianum est, castra posuit. ibi turma equitum occurrente, cum praelium commissum esset, aliquandiu sustentatum; donec Pennacio Cecii Bistolphi filio cum

armis equoque ab hostibus capto praetor infelici exemplo clari viri territus, parum prospera fama retro signa convertit. cui insigni aliquo facto abolendae, triginta peditum millibus, mille equitibus collectis, adversus Ubertum exulesque signa movit. Ducebat exulum exercitum Guido Burgundio, ejusque liberi Anselmus ac Rodulphus; parique nobilitate Paganus Ronzinus. Ad eos tamquam conjurationis principes, caeteri confluebant: et ut quisque factiosus et inquies, aut alia spe turbidus, illorum lateri quotidie jungebantur. quare collectitiis duum millium peditum, ac trecentorum equitum copiis validi, insessis Catino et Summano, regionis ad Naevulam flumen oppidis, quae Guidonis imperio parebant, locorum situ jugisque montium se tuebantur. Ingherames urbe egressus, superatisque collibus, unde per angustos saltus callesque iter est, Bujanum pervenit; ubi ampla satis ac spatiosa planities aperitur: ad orientem ac septemtrionem Naevula amne, jugisque montium, (quibus Catinum Summanumque, ac Verrucula, tunc munita arx, nunc uno aut altero tugurio aegre nomen retinens; ac praeterea Massa, Collisque clara oppida imposita) ad meridiem paludibus Sextinoque ac Phocensi lacu clausa, medium inter Catinum et Massam Bura amnis interfluit,

per aestatem ac sereno coelo, tenui aquarum agmine labens; hyeme vero, ac repentinis pluviis torrens et confragosus, ingentesque lapides secum trahens. Hoc loco Ingherames primis castris consedit; altera die propius Catinum progressus, castra ex adverso communiit. Exules, conspectis hostium copiis, obsidionem expectandam minime rati, Jacobo catinensi praetori delato armorum imperio, sublatis vexillis albisque fasciis, illius jussu, super arma praecincti, ut in praelio a suis noscerentur, obviam Lucensibus processere: collatisque castris, nulla injuria lacessiti aut lacessentes, ea nocte quievere. postero die sagittarii equitatusque hostium, castris Lucensium valloque adequitantes, missilia inulte ingerere: cum sol in ora nostrorum obversus, oculos everberaret. Sed ubi is crescente die, paulatim in meridiem flexus, pugnandi copiam fecit, Ingherames vallo cum peditatu egressus, praelium adortus est; magnoque ardore ad nonam usque horam utrimque pugnatum. quo tempore Paganus Bonzinus cum manu exulum in nostros effusis habenis invecti, Ingheramis aciem turbavere: multique ex ea caesi vulneratique. Auxit eam cladem Sofredellus Lambardus, qui cum gentilium suorum turma, fortissimisque juvenum Richardino Longo, et comite Taliaferro Alberti

comitis filiis, latera Lucensium ex transverso adortus, passim fugam stragemque edidit: aliis ferro caesis, aliis ad terram lapsu equorum pedibus obtritis. profligatique Lucenses eo die fuerant, nisi Bonifacius Russus ex Aghinulphi dynastis, qui in praetoris subsidium advenerat, impetum hostium, occursu agminis, cujus ductor erat, fregisset. quippe ferociter adeo in eos invectus est, ut conversa repente fortuna, victi e victoribus, passim caederentur. multi in ea pugna occisi, plures capti. dubioque marte discessum erat, nisi ex altera parte Paganellus, e Calcinariae regulis integrato praelio, fessam Ingheramis aciem excepisset. itaque fortuna praelii penes hostes fuit; Lucensesque a Lucensibus fusi; qualis in civilibus bellis solet, victoria nec victis nec victoribus laeta. Salutare in ea clade fuit, quod volaterrani antistitis auctoritate (Ildebrandus Pannochiescus hic erat) qui arrepto patriae dominatu, pro Philippo imperatore Tusciae res curabat, discordiae inter cives compositae: reducti exules, patriciique plebi conciliati: Ingherame se communem utriusque partis praetorem futurum professo. Sed non diu, quorumdam nobilium, quibus populare imperium grave erat, superbia pax mansit. Nam insequenti anno cum Ubertus Furlinus, et Ray-

naldus Buffadorsus, una cum Gualterotto Castanaccio, et Ugutione Ordelasso, arma adversus populum coepissent, commisso praelio, ad noctem usque pugnatum. Sed in auctores seditionis pravum consilium rediit. quippe populo, ut causa ita viribus praevalente, fusi fugatique nobiles; caeso in ea pugna Castanaccio, receptoque populi vexillo, quod per eum tumultum patricii arripuerant: Ordelasso, ubi suorum partem afflictam vidit, sponte tradente. nec intra quinquennium domesticis discordiis laboratum. a civibus arma in exteros versa (1): susceptumque adversus Miniatenses bellum: quod simul exortum extinctumque est. Quietam civilibus armis rempublicam, atrox facinus turbavit. Porcarium (2) pagus est ad octavum ferme lapidem in ortum versus, ferocibus incolarum ingeniis, belloque et armis nobilis. illi per ea tempora imperitabant e patriciis lucensibus proceres, quos a loci dominatu Porcarienses appellabant. quorum aedes ad D. Petri caelicolae templum stetisse, turrimque templi ipsam porcariensium turrim esse, periti antiquitatis affirmant. hi divitiis potentiaque admodum florentes, ac praeterea

(1) Ann. 1206.

(2) Ann. 1209.

numero validi, magnum momentum Lucensium rerum ea tempestate erant. Unde per superbiam caeteros prae se contemnere, nec quicquam probare in republica, cujus ipsi auctores arbitrique non fuissent. Itaque cum Guido Perolla contra eorum voluntatem praetor creatus esset, caeteris de more in ejus verba jurantibus, Paganellus gentis princeps aliique sacramentum abnuere. quapropter urbe pulsi, sumptisque armis, Porcarium, Granianum, ac Januarii fanum eorum ditionis oppida deleta; eam contumaciam, injuria insuper accensi, scelere cumulavere. Nam collecta suorum manu praetorem adorti, confossum vulneribus foede trucidarunt. quod ubi per urbem vulgatum, populo in ultionem accurrente, percussores profecto poenas dedissent, nisi utpote in exilium profecti, iratis civibus se subduxissent. sed quoniam in corpora non licuit, in tecta saevitum: Paganellique aedes, qui sceleris auctor extiterat, solo aequatae. Nec multo post Othone imperatore, qui sublato Philippo aemulo jam solus rerum potiebatur, Lucam adventante, Porcarienses majestatis damnati: ademptisque honoribus, bona in fiscum redacta. Idem imperator in hospitum gratiam, cuncta privilegia ac immunitates priorum caesarum tam sacerdotibus, quam populo concessa,

rata esse jussit. cudendae quoque monetae jus ab Othone Lucensibus iterum concessum: marisque ac fluminis commeatus liber permissus, cauto insuper ne palatium imperatorium in urbe aut intra sex mille ab ea passus, tamquam libertati grave futurum, extrueretur. quae ob merita aureus nummus ejus nota percussus. Eodem adnitente Suffredingi proceres, quaeque eorum partis erant oppida Limanum et Furnulum, caeteraque montanae regionis, in lucensis populi verba juravere. idem a Montis magni dynastis, Ubaldisque praestitum. Bargaei quoque ac caeteri feroniensis provinciae populi, vectigales Lucensium sponte facti. Insequenti anno ad D. Luciae aedem incendium in foro excitatum, plures nobilium domos corripuit. Scalcalarum praecipue, ac Aliottorum aedes conflagravere: eademque peste Ruffaldorum, Tractuciorumque aedes absumptae. Nec defuit augurio fides. Nam eo qui proxime insequutus est anno (1) civile bellum exarsit: exulibus Paganelli Porcariensis, ac Rolandi Truffae, qui Aginulpho dominabatur, impulsu in patriam conjurantibus. adversus quos praetor cum urbana militia portarum D. Gerva-

---

(1) Ann. 1211.

sii, ac Suburbiorum profectus, signis cum hoste collatis, fusus fugatusque est. cum domestica proditione eorum, qui in urbe substiterant, ejus consilia ad exules manassent. quo tempore Rolandus Mezolombardus una cum Castri Passerini dynastis, qui a Lucensibus rebellaverant, lucensem agrum ingressus, Cerasummam Flexumque igni ferroque depopulatus, praedaque ingenti acta impune discessit. Longe alia fortuna pro sociis in externos hostes pugnatum (1). Sardus, id regulo nomen, Massae Lunensi imperitabat. is Aginulphum Rolando Truffae in perduellionis poenam a lucensi populo ademptum, ac Bonifacio Russo, ob egregiam in praelio ad Buram flumen navatam reipublicae operam traditum, armis aggressus, collectis ex Gallia Cisalpina Etruriaque universa copiis, magnum peditum ballistariorumque numerum sub signis coegerat. praeter validam quingentorum equitum manum, e flore Tusciae nobilitatis: inter quos Porcarienses, et Suffreducii Lucensium exules, privatum dolorem, patriae clade ultum ibant. Jamque Aginulpho Ignosoque uno impetu captis direptisque, victor Sardus discedebat, cum Russus

(1) Ann. 1213.

implorata Lucensium fide bellum instauravit. quippe Robertus Soffreducius, Gulielmus Malugius, Rustichellus Podius, Buonagiunta Lanfredus, et Gulielmus Castanaccius, qui tunc consulatum Lucae gerebant, egregium rati, si clientem ac supplicem defendissent, vitato populi nomine, quem implicari tunc bello minime expediebat, edixere nemini privato fraudi futurum, qui suis consiliis, opibusque Russum iuvisset: modo ne quod lucensis populi vexillum aut nomen praeferretur. Certatim in eam expeditionem nomina dedere. profectique duce Gaufrido Masca pisano exule, primo ad Vicum Brancalianum, deinde ad amnem Frigidum castra locavere: Sardus majore suorum numero confisus, cum lucensem equitatum ducentos non excedere comperisset, pugnam minime detrectavit. Sed quod numero deerat, virtute suppletum, tantisque animis viribusque a Lucensibus pugnatum, ut hostes passim fusi fugatique terga verterent. ad sexaginta e primoribus capti; inter quos Fortes Pellarius equestris ordinis, Ubertus Mancho, Albertinus consul, Bernardus Machus, aliique clari viri; cum e Lucensibus octo tantum in hostium potestatem venissent. Ut domesticas discordias externa arma, ita civilis tumultus externos hostes excepit. Fine anni cum novo

praetori creando comitia instarent, plebs novarum. rerum avida XIV. Kal. decembris, Inghérami porcariensi, qui XI. annos ante, eum magistratum parum prospere gesserat, iterum demandare honorem cupiebat. populari factioni, qui ardorem imperitae multitudinis regere debuerant, Gulielmus Malugius, Gerardus Fatinellus, Tondinus Guttus (1), Bernardus Diversius consules mercatorum studebant. itaque cum edixissent, ut suarum partium homines in D. Justi aedem ad praetoris comitia convenirent: nobiles, quibus invitis ea gerebantur, Fanuccio Podio, Guidone Gallo, et Gulielmo Allucingo auctoribus, collecta suorum manu, ad consulum aedem arma sumpsere. Interim Guido Ubertus, qui per Malespinas lunensis orae regulos, reipublicae conciliatus, praeturam gerebat, stipatus patriciorum multitudine, successori prodendo, ut lex ferebat, in basilicam martinianam processerat: quod ubi a populari factione auditum, facto in basilicam impetu, vis caedesque in praetorem parabatur. multumque eo die civilis sanguinis fusum foret, nisi sacerdotes objecta loci religione, crucibus, ac Divorum reliquiis furenti-

(1) Del Ghiotto.

bus occursantes, vulnera ac caedes prohibuissent. Sed ut causa melior, ita numero victa nobilitas, aliis alio in loca tuta arcesque dilapsis, magna pars Guidonem praetorem sequuta, primo Librafactam, inde Passerinum, pauloque post in Phocensium oppidum, ad profluentem Arni situm, concessit. Ingherames nobilium discessu superior, pro praetore se gerens, edicto vetuit, ne quis injussu suo conventus coitionesque populi haberet: qui secus fecisset, pro hoste futurum. nec eo contentus, cum plebem armasset, haud meliore exitu, quam priore magistratu fecerat, adversus nobilitatem in Phocenses signa movit. Patricii cognito Ingheramis adventu, ut transitum hosti interciperent, pontem ad Cappianum solvere, per quem, paludibus late stagnantibus collectione aquarum, quas diversi amnes e Naevulae regione in eas influentes vehunt, in Phocenses iter est. Ingherames aditu Cappiani interclusus, circumducto exercitu, prope Falconium (1), Cerretumque Guidium ponte trajecto, in Phocenses pervenit. Sed nobiles ipsius adventu minime expectato discesserant, Catinumque profecti, mox in

(1) Monfalcone.

subjectis campis consederant. Ingherames spe sua frustratus cum retro copias per calles, phocensemque saltum reduxisset, silvam egressus, ubi in planitiem pervenit quae Gallenum Topalsiumque (1) interjacet, nobilium equitatum obviam habuit; inter quos Guido et Oddo Uberti, Tedices Costorius (2), Ubaldus Gerarduccius, nonnullique ex Upezingorum gente, principem locum tenebant. nec mora ulla intercessit, quin statim eductis gladiis, expeditaque utrinque ad praeliandum acie, pugna committeretur. Ingherames, quique cum illo erant, non ut in seditione ac tumultu populari, ita in acie praelioque validi, patriciorum impetum non tulere, passimque caesi captique: victoribus eos usque ad portas civitatis insequutis. quam simul ingressi, cum victoria omnia arbitrii sui fecissent, Ingherame in ordinem coacto, Andalum bononiensem praetorem creavere. Placatis Lucensium rebus Florentiae turbatum: discordia inter Ubertos ac Bondelmontes exorta, unde Guelphorum ac Gibellinorum factiones in ea urbe primum auditae; quae non Florentinos modo, sed universos Etruriae populos sua clade implicuere.

(1) Altopascio.

(2) Del Costore.

Per idem tempus, medendis quibus christiana respublica afflictabatur malis, ac praecipue expeditioni in Syriam Palaestinosque comparandae, Innocentius pontifex, ex toto terrarum orbe sacerdotum conventum Lateranum indixerat: qui numero et dignitate eorum, qui interfuere, ipso pontifice praesidente, omnis memoriae maximus est habitus. quippe ad LXXI. episcoporum principes, pontifices CCCCXII. minorum vero antistitum ad DCCC. convenisse constat. praeter regum principumque oratores qui sacrum coetum praesentia sua augustiorem fecere. quo tempore divini homines Dominicus et Franciscus, corruptis mortalium moribus, religionique restituendae adhibitis sociis, collegia instituere; quibus deinde toto terrarum orbe propagatis, tot viri sanctimonia doctrinaque insignes publico bono extiterunt. Ut in confesso sit, quemadmodum religioni primum instituendae, caelestes illos XII. viros, e latere suo Christus olim per gentes nationesque dimiserit; ita reparandae par hoc egregium, priscis illis virtute simillimum destinasse. Hoc mortalium operum Innocentio novissimum fuit. cui paulo post inter praeclaras cogitationes Perusii extincto, Honorius III. successit (1), Sabellorum

---

(1) Ann. 1216.

stirpe inter romanas principe. qui non potestatis, magis, quam conatuum consiliorumque successor inter ipsa principatus initia, decretam ab Innocentio in barbaros expeditionem strenue urgebat: auxilia undique colligendo. Inter alios qui sacro bello nomen dedere, Robertus lucensis antistes civisque extitit: qui cum sumptu suo triremem instruxisset, collecto juventutis patriae flore, in orientem profectus; armis aeque ac religionibus aptus, ei praelio interfuit, quo Pelusium Aegypti urbs uni ex septem Nili ostiis imposita, post diuturnae obsidionis labores capta est. Praefuisse Lucensium copiis Laurentium Saulium reperio: quae familia tunc inter Lucenses numerabatur: postea vero per civiles discordias Genuam profecta, opibus honoribusque inter principes floret. Nec pro religione tantum, sed etiam pro fide sociali Lucenses per id tempus arma sumpsere. Miserant Genuenses novo pontifici gratulatum oratores; quibus, cum terrestri itinere per lunensem agrum eundum esset, Sardus, qui, ut dictum est, Massae nobili ejus regionis oppido imperitabat, quo Pisanorum gratiam iniret, quibus per ea tempora, gloriae aemulatione, inimicitiae cum genuensi populo intercedebant, contra jus gentium captos in custodiam dedit. ea injuria Lucenses moti, raptim

eductis copiis in lunensem agrum transgressi, regulum temere cum paucis committere se pugnae ausum, fusum fugatumque, ac omni dominatione spoliatum, Pisas compulere. Potitique oppido, legatisque in libertatem vindicatis, eam regionem in provinciae formam redactam populi lucensis nomine praefecto regendam tradidere: turribus arcibusque presidio imposito. Unde caeteris dynastis (catanos appellabant) metus; et retinendi obsequii necessitudo. Haec Sardus, lucensi populo jam pridem infensus, Pisanorum gratia. nec interea Pisani ipsi cessabant, renovata per avaritiam lucensis pecuniae cudendae injuria; contra quam Lucii III. pont. max. ac Friderici Aenobarbi lege cautum erat. quare Lucenses apud Tancredum Bonalbergum, Caesaris in Etruria procuratorem, questi, non pontificum, non caesarum sacratis legibus reverentiam esse, qui eum honorem Lucensibus ob illustria in ecclesiam imperiumque romanum merita habuissent, jus impetravere. Pisani ex foederis lege centum auri pondo multati. Insequenti anno excessit vir illustris Guido Ubertus, Burgundio appellatus, liberis Rodulpho et Anselmo relictis. quo defuncto, Lucenses Summanum, cui Guido imperitaverat, praetio emptum sui juris fecere. Arx quoque Massae Lunensis, cum cae-

tera perdomita armis essent, auro expugnata; tradente praefecto, qui eam Gulielmi quondam lunensis reguli virginis filiae nomine obtinebat. Dum foris lucensis populi imperium augetur, civitas ruinis minuebatur. Nam et turris Pagani Ronzini subito collapsa aedificiorum stragem late edidit: duaeque domus simili labe quinquaginta feminas oppressere. major clades ruina fastigii turris Sismundorum accepta. quo, seu vetustatis vitio, seu tempestatis vi dejecto, supra ducentos hominum obtriti, miserabile ac foedum spectaculum praebuere. minor hominum strages, sed ex publicarum tabularum jactura detrimentum ingens fuit, cum tabularium quod eo tempore ad D. Salvatoris in Mustolio aedem steterat, subito casu corruisset. quippe ruderum parietinarumque illisu obtrita lacerataque passim, quibus et publica monumenta ad memoriam posteritatis, et privata fides continetur. Nec fortuitis modo casibus, sed accersitis manuque factis, ea aetas infamis. abest ab urbe in meridiem, sexdecim circiter stadiorum spatio pagus, cui Gattajola nomen, amoeni ac frugiferi collis crepidini appositus. Vetus ibi sacrarum virginum collegium erat, ex eorum temporum more, quibus etiam in locis apertis ac incustoditis, religionis causa feminae congregabantur. nam et in proximo ad

D. Cerbonii aedem, et Coselli ad D. Pauli, et ad D. Cassiani ad Vicum, sodalitia virginum habitasse, ex antiquis tabulis constat. In eo igitur collegio, virginum quaedam, incertum ob quam causam antistitae irata, tantum furorem concepit, ut facinore plusquam muliebri, dolorem suum ulcisci decreverit. quare nocte concubia igne in diversa loca injecto, tantum excitavit incendium, ut nulla humana ope inhiberi potuerit, quin totae aedes in cinerem ruinasque solverentur. Virgines ancipiti malo oppressae, cum hinc religio, hinc mortis metus urgeret, pavidae ac trepidantes inter flammam elapsae, in alia mox collegia distributae. manet adhuc apud incolas atrocis facti memoria: parietesque quadrato saxo extructi, solo modice extantes, infelicis loci famam servant. quod quamquam paulo post contigit, similibus cladibus adiungere haud ab re visum. Haec privatim fortunae aut hominum malignitate. Bozani arx publico consilio eversa. Occupaverant eam Pisani, dum exulibus, Sardoque lucensi populo iratis, gratificantur. adversum quos cum Rodulphus comes praetor urbanus Duccium Buccavaccam (quod Sandaeorum familiae nobilis ac vetustae cognomen fuit) cum copiis ducem misisset, munitio capta, ac ne hostibus iterum receptui foret, solo aequata. Per

idem tempus Othone fine superioris anni mortuo (quem nulla gesta re insignem parumque prospere contemptae religionis fama decedentem, sola impietatis suae poenitentia nobilitavit) Fridericus Romanorum regno, aemulo sublato, sine controversia potitus est. Ad eum salutandum legati a Lucensibus missi. cui etiam insequenti anno in Italiam descendenti, ut pontificis Honorii manu augustalia insignia caperet, una cum caeteris Tusciae urbibus, equitum turmam submisere. Inauguratus est X. Kal. dec. sacro D. Caeciliae die, diademate capiti ejus imposito, tota urbe plaudente, et quantum mali foveret ignara. Nec diu impietatem distulit: cujus semina et avitis exemplis et pravitate ingenii insita, reverentia matris, et competitoris metu hactenus utcumque suppresserat. quae demum, eo qui insequutus est anno, (1) veluti amotis custodibus erupere. quippe ejus fraude, diu retentis, aut sero submissis auxiliis, Pelusium iterum a barbaris captum; antistites ad arbitrium populis contra leges sacratas dati; Luceriam Apuliae Dauniae urbem colonia Maurorum deducta, prima perdito homini scelerum rudimenta extitere. ob quae a pont. max. increpitus, tandemque diris

(1) Ann. 1221.

ac devotionibus petitus, ad continendas in fide romani imperii Etruriae urbes, Conradum spirensem antistitem misit. Is vitato urbis domicilio, ne lucensis populi animum Honorio suspectum redderet, apud Phocenses in lucensi consedit. Fridericus quoque ne Lucenses obsequium exuerent, Viaregium maritimum eorum agri oppidum, Pagano Balduino messanensi, cui prisca apud Lucenses origo, dono dedit, literaeque imperatoriae aurea bulla signatae, ejus liberalitatis documentum, auctore Ptolemaeo, Guami olim, ubi insigne monachorum asceterium fuit, asservatae. quod oppidum deinde ab eodem Pagano reipublicae restitutum. Friderici exemplo, passim religio sacrique homines obsolescere; contemptuique haberi coepti. nec ea labe Lucenses intacti. Gerebat praeturam urbanam Parentius (1) e romana nobilitate: (a quo Parentii, patricia gens, Lucae originem duxisse creduntur) vir elato animo, et, quod semel arripuisset, in incepto pertinax: quique se Romae ac in pontificum regno ortum, parum meminisset. Hic cum viis pontibusque muniendis tributum indixisset, sacros homines conferre in publicum recusantes, non contentus eorum bona per vim occupasse, edicto

(1) Ann. 1222.

urbe expulit: nulla ipsius antistitis reverentia. eo etiam amentiae provectus, ut recens natos lustralibus aquis, aut criminum confessione purgari quemquam vetuerit: multa irrogata pio viro, qui contra ipsius interdictum, apud sacerdotem conscientiae labes expiaverat. quam furentis hominis audaciam pontifex, intentata ipsi exsecratione, sacrisque urbi interdictis, frangere aggressus; Genuensibus insuper, ut ea quoque difficultate ad officium revocaret, datis literis admonuit, ne cum lucensi populo publice quicquam, privatimque contraherent, negociive haberent; donec rescissis ea de re praetoris edictis populique scitis, dicatis Deo hominibus satisfecissent. quod mali exempli facinus, nec unquam nisi pessimo publico a principibus tentatum, consules praetorque agnoscentes, abolendae maculae, quam Lucensium nomini conflaverant, cum se in pontificis maximi potestate futuros spopondissent, civitas piaculo soluta, Parentiusque cum bona Honorii gratia Romam reversus est (1): tantum malae famae, religione vexata, apud Lucenses relicto, quantum reipublicae majestate armis asserta, bonae meruerat. Nam eo praeturam ge-

---

(1) Raynald. Ann. 1222, n. 33, 31.

rente, quae illi semel atque iterum collata est, haec adversus Pisanos gesta, in antiquis annalibus reperio. Reversi e Syria Pisani, excursionibus in lucensem agrum, antiqua odia renovaverant, quibus injuriis ulciscendis, cum Parentius equitum turmam in maritimam Versiliae oram immisisset; ii vicum ad mare adorti, ingentem olei vim, quam Pisani compendii causa in Africam ad Mauros contra fas deferre parabant, auferendo, et a vicinis hostibus praedam, et a longinquis subsidium avexere. Pisani mercatorum instinctu, quorum ablatae res erant, per legatos ac literas apud lucensem praetorem frustra conquesti: animadverso reposcendis rebus operam perdere, ratibus clam armato milite instructis, cum inter paludes, lacumque ad Montravantum, locum qui Erycis portus (1) appellatur, intrassent, scaphas Lucensium mercibus onustas secum Pisas abstulere. legatis pluries hinc inde ad repetendas res sine fructu missis, cum haud dubie bello armisque cernendum esset, Lucenses collem, ubi nunc Castilioncellum arx est, unde Pisanis in appositam Acsari vallem aditus, valido praesidio firmarunt. cum praecipue non ob-

(1) Porto a Elici.

secura fama percrebuisset, Pisanos Albergottum (1) Panimilium militaris rei peritum, cui praeturam detulerant, jurejurando adegisse; in magistratu suo tres munitiones ad Lucensium fines extructurum. Sed revocatis de pace sermonibus Pisani ullas conditiones admissuros negabant, nisi praesidium e colle, qui Aesari imminet, deduceretur. quapropter omne pacis bellique arbitrium praetori permissum, potestate, quanta penes lucensem populum est, illi attributa. Is Petrum Leonem, quem sanguinis propinquitate sibi conjunctum Roma secum judiciis exercendis adduxerat, sapientia ac ingenii dexteritate praestantem, una cum Friderico lucensis reipublicae scriba, duodenisque nobilibus Pisas destinavit, qui de pace aut induciis cum Pisanis agerent. si eae placuissent, a singulis civibus pisanis lucensibusque a decimoquinto ad septuagesimum quintum aetatis annum, more majorum, juratis sancirentur. damna, litibus aestimatis, utrinque praestarentur. arces munitionesque extruere ad fines, neutri populo liceret. Lucenses e colle praesidium deducere minime cogerentur. his in consilio Pisanorum expositis, responsum, inducias ultra decem dies esse non passuros: nec

(1) Pandimiglio.

eas jusjurandi religione sancituros. legatis cum hoc responso Lucam reversis, constito Pisanos fraude agere nec sincere in gratiam redire velle; Parentius majorem militum numerum, qui colli praesiderent, submisit. qui diu noctuque excubias vigiliasque, intenta cura obibant: nullo aut hyemis, aut pluviarum, quas per eos dies large tempestas effuderat respectu: contra omnem coeli annique inclementiam, patriae caritate satis tuti. quin vetando Pisanis ascensu, si vim pararent, munitionem novi operis aggressi, labore ita festinato properavere, ut Pisani prius turres murosque in justam altitudinem eductos cernerent, quam tale aliquid moliri Lucenses suspicari possent. quod ubi Pisas nunciatum, omnia iniquis rumoribus plena in rectores reipublicae esse. » jactari palam, eos pertinaciae suae poenas » pendere, qui justis Lucensium postulatis au- » res obstruxissent. aequa negantibus, iniqua » patiendum: ac pro pace ac societate frae- » num jugumque accipiendum. » his moti Pisanorum praetor consulesque, sero tandem sapere docti, consilio populi advocato, Lucam oratores Ugonem Grottam, Gilibertum et Bonaccursum Gattos equestris ordinis viros, una cum Alberto Ronciono praetorio judice, ad pacem aut inducias sanciendas misere. Prae-

ter publica mandata, literas etiam a pisano antistite afferebant, quibus Lucenses, munitione aedificanda abstinere admonebantur. Lucam ingressi recta in praetorium perrexere. Sed praetor, tum ultione, quod Lucensium oratores novissime Pisis verborum licentia violatos sciret; tum suspecta Pisanorum fraude, eos a conspectu colloquiisque repulit. cumque non admissi, conversis habenis, re infecta Pisas reverterentur, Praetor de consilii sententia, per nobilem virum Cacciamontem revocatos admisit. Sed cum ob eam causam seditiosi sermones in populo exorti essent; palamque jactaretur, eam civium mentem esse, ut munitio omnino extrueretur: nec precibus aut minis cujusquam ab incepto absisteretur: Praetor cognita populi voluntate, in eam sententiam legatis respondit. sub eorum discessum Parentius una cum patriciis, quorum consilio tum res agebantur, ad destinatum arci locum profectus est. Sed cum de munitione aedificanda omnes consentirent, illud obstabat, quod nec in dorso, nec in crepidine montis usquam lapides apparebant: magnique operis videbatur, in summum fastigium necessaria aedificando, hominum jumentorumque labore comportare. Sed vix lateres saxaque convehi coepta, cum fatis consilium ju-

vantibus, in dorso montis fodinae lapidum magno civium gaudio repertae. tantaque alacritate ac studio civitatis opus festinatum, ut e singulis regionibus, non vulgus modo, sed patricii quoque alternatim humeris ingentia onera subveherent. unde brevi arx, aliaeque circa munitiones perfectae. nullo ambigente paci libertatique munimentum, adversus earum perpetuos hostes, ea aedificatione attolli. Pisani ut paria Lucensibus reponerent, collecta armatorum manu, ex iis praecipue, qui Chinsicam (sic unam ex urbis regionibus appellant) incolebant, Morecium montem occupavere. dispositisque machinis ballistisque, ad arcendam vim, munitionem et ipsi construere adorti. Situs est is mons in lucensi agro, non longe ab oppido quod Calbulum vocant, haud arduus ascensu: modice ac paulatim clivis se se attollentibus. ab oriente fertiles campi, in latam porrecti planitiem se se aperiunt: liquidis fontibus, qui e crepidine montis manant, irrigui. ad septemtrionem Arnus praelabitur, omnium Etruriae fluviorum maximus: si Tiberim excipias, qui Latium Tuscosque celebri amne disterminat. ad meridiem occidentemque regio nemorosa, et frequentibus sylvis consita: unde arci a conditoribus nomen inditum, Nemorisque oppidum appellatum. Lucenses novae arcis aedificationem prohibere minime ausi; cum

peditibus equitatuque regionis D. Gervasii ad oppidum pontemque Erae flumini impositum, qui lucensis ditionis tunc erat, muniendum advolavere: fossaque duplici circumacta ac machinis per moenia dispositis, strenue locum contra impetum tutati sunt: quamquam Pisani ad eum oppugnandum cum lecta septingentorum manu venissent: in quibus multi nobiles principesque viri, belloque experti numerabantur. eadem cura Palariae arx praesidiis firmata: provisumque ne quid hostile caeterae munitiones pati possent. Nec segnius Pisani coeptum ad Morecium opus urgebant, quod demum perfecere: ad caetera munimenta murorum turriumque, ingenti fossa quindecim pedum in latitudinem adjecta. nec eo contenti, aliam quoque munitionem ad Planetulum aggressi: quo sibi ad Calbulum occupandum, (quod imperio antistitum nobilis asceterii ad lacum sextum parebat) viam sternerent. unde crebris excursionibus, praedasque agendo, omnia circa infesta habebant. quare Calbulenses, ad propulsandam vim oppido egressi, cum hostes repulissent, navigia commeatibus mercibusque onusta in Arno flumine adorti: partim captis, partim incensis, cum Pisani ferre opem nequissent, victores domum revertere. Secundum eam pugnam, cum Pisani aliquot dies quievissent,

tandem conscripto ex Etruria Galliaque Cisalpina stipendiario milite: cum ducentis equitibus, ex utriusque provinciae nobilitatis flore collectis, duce Conrado Malespina, in subjecta Aesari loca transgressi, fossa valloque, ac concaedibus arborum castra communivere. Ad eum nuncium Lucenses raptim sumptis armis, duce Galganetto Raynulpho consule, cum Balbanum usque processissent; magno impedimentorum apparatu adventitiis copiis excipiendis, prope hostium stationes et ipsi castrametati sunt. Proximo die, calentibus utrinque ad pugnam animis, non expectato ducum imperio, ballistarii primum, mox funditores e castris egressi, praelium inchoavere. cum sustentatum diu ex utraque parte esset, victoria tandem ad Lucenses inclinavit; hostesque fusi ac in fugam versi. Sed fractis viribus integra in Pisanorum animis odia mansere. quare, tum vetere ira, tum recenti malae gestae rei pudore incensi ad externa auxilia conversi, Pistorienses in belli societatem traxere. Lucenses novis hostibus et ipsi externas opes opponendas rati, Florentinos veteres amicos, Guelpharumque partium studio civitati conjunctos, ad ineunda secum armorum consilia excivere. Ea in primis cura lucensem populum sollicitabat, oppido ad Morecium extructo, inustam nomini

ipsius maculam abolendi. quare illo primum belli impetus conversus: magnoque peditum equitumque numero ad novam munitionem obsidendam oppugnandamque processum: Pisani contra, retinendi loci cupiditate, cum suis atque auxiliaribus copiis progressi; cum aliquot velitationibus superiores extitissent, quibusdam nostrorum caesis captisque, demum aliis, atque aliis subinde Luca in subsidium advenientibus, cum magna caede usque ad montis jugum repulsi. Egregiam praecipue eo die pugnam edidere illa copiarum pars, cui Ugolinus Paganellus, et Ingherames e Montismagni regulis duces praeerant. hi caeteris interea pugnantibus, cum aliquandiu ex adverso hostium constitissent, ut labare suorum aciem conspexere, repente turmis equitum in transversam Pisanorum ac Pistoriensium aciem immissis, perruptis turbatisque ordinibus eum tumultum fecere, ut, multis eorum caesis, alii in fugam versi in primas munitiones se se reciperent. Lucenses victoria utendum rati, cum admovere oppido exercitum coepissent, quamquam propugnatores strenue se tuerentur, ballistisque ac tormentis saxa jaculando hostem submoverent, tamen obstinatis ad vincendum animis, quibus auctae subinde vires audaciam dabant, in incepto perstitere. Dum eo loci res

esset, Florentinorum copiae Arno flumine superato, se se Lucensibus adjunxere. tum demum redintegratis viribus animisque, tanta vi praelium instauratum, ut fuga caedesque passim fieret. Pisanorum multi caesi, nec pauciores capti: quorum supra mille trecentos Florentiam adductos, scriptores ejus gentis tradunt (1). impedimenta quoque direpta, captivique cum praeda omnis generis recepti. oppidum ipsum captum eversumque, ac incolae prope Blentinam traducti. Alia quoque Pisanorum castella direpta, flammisque deleta. atque ita demum eorum temeritas arces in alieno extruentium punita. Portae oppidi Nemorensis evulsae, Lucamque inter manubias in triumphum advectae, ad templum D. Michaelis in lucensi foro stetere. ea clade una cum oppidorum jactura audita, Pisani qui ad Planetulum arci in praesidio erant, eam retineri posse diffisi, deseruere: Lucensesque Calbulo egressi, munitione eversa spolia praedamque Calbulum detulere: iis quoque fugatis, qui Cerreto, Monticastello ac Gervasii fano praesidebant. Soli Martenses in vicinia intacti Lucensium armis agebant. eos quoque praetor

(1) Villan. et Ammirat.

urbanus, Petrus Ventus genuensis, qui Parentio successerat, literis de oppidi deditione admonuit. ni pareant, vim belli experturos. nec mora injecta, quin portarum clavibus ad Praetorem delatis, se se victori permitterent. Ea victoria pontifices lucenses in antiquum jus restituti. Nam Roberto, qui tunc sacerdotium civitatis obtinebat, postulante, Palaria cum aliis oppidis reddita, quae a Pisanis occupata, ejus ditionis fuisse constabat. iis pons quoque oppidumque ad Eram fluvium adjectum: cum id quoque in pontificum solo extructum esset. Haec est insignis ad Nemorense oppidum victoria, quam florentinarum rerum scriptores, auspiciis ejus populi relatam, patriae claritudinis studio prodidere, pugnante veterum tabularum ac Ptolemaei fide: quibus Florentinos non belli duces, sed socios populi lucensis constat: eosque victoriam non retulisse, sed adjuvisse.

Ea Pisanorum clades, velut omen alterius fuit, quam insequenti anno (1) ad Cerasummam accepere: qui pagus non longe a pisanis finibus per montis dorsum in septemtrionem occidentemque porrigitur. Pisani cum Librafacta eo

(1) Ann. 1223.

usque penetrassent, occursu Lucensium territi, cum eorum impetum sustinere nequissent, signis conversis se se fugae praesidio commisere, palantes solutisque ordinibus, qua quemque suus metus egerat dilapsi. Sed cum suis in subsidium adventantibus, animum recepissent, conversa fuga, sublatisque repente clamoribus, tantum nostris terrorem injecere; ut ex insequentibus fugientes effecti terga hostibus darent, et coepta victoria eo die in insignem cladem desisset, nisi Flos Sbarra antiquae nobilitatis, ejus expeditionis dux, territos castigando adhortandoque pristinae virtutis laudisque admonitos, quam turpi fuga corrumperent, pugnam integrare coegisset. quippe ex pudore ac ira tantum animorum paulo ante fugientibus additum, ut instaurato praelio, Pisanos passim caedendo obturbandoque, solvere iterum ordines ac tumultuaria fuga se se recipere compulerint: insequenti ardore ad usque Pisarum moenia progressi. intra quae receptis hostibus, illis fugiendi, nostris persequendi finis factus. Idem annus alterius arcis in Versilia evertendae, alterius edificandae consilium attulit. Lumbricum solo aequatum, cum compertum esset, oppidanos proditione ad Pisanos spectare. Sed patefacta conjuratione, qui Pisanorum recepti in oppidum fue-

rant, arrepta fuga, secum D. Virginis imaginem, antiqua religione venerabilem, Pisas deportavere: quae in basilica principe adhuc colitur. contra vero Rotarium extructum in eo monte, qui mare prospectans, pari ferme spatio inter Feroniae fanum et Campum majorem, clara oppida, et e ruinis oppidorum Versiliae paulo post aedificata, interjacet: spectata loci opportunitate: quippe militari viae, qua in Liguriam Insubresque iter est, imminens. Per idem ferme tempus, (1) cum Pisanorum opera Anchianum rebellasset, mox deditione receptum. nec venia solum oppidanis, sed etiam immunitates, quo constantius in fide lucensis populi manerent, datae. cognito, tam crebris oppidorum defectionibus, eo consilia hostium spectare, ut Lucenses, dum irati, per vim et arma eadem recepta, evertunt; paulatim arcium munitionumque praesidiis nudarentur. eorumdem Pisanorum fraude Montebellum in Versilia amissum; nam obtentu instruendae classis, cum magnum militum numerum conduxissent; sub noctem ex improviso Pisis profecti adortique oppidum, proditione eorum qui clam cum ipsis sentiebant, obtinuere: iis qui intus erant Lu-

(1) Ann. 1225

censium, cum ad obsistendum impares essent, fuga elapsis. Nec proditione tantum, dolisque hostium, sed etiam malorum civium parumque reipublicae amantium avaritia, jus populi lucensis imminutum. Aginulphus Bonifacii Russi filius ex Ignosi Aginulphique regulis; nec non Guido Tegrimus ac Malcoaldus Malpilus, certa pecuniae summa, Cecinam, Lencianum, aliosque pagos quibus, ex illorum temporum more, imperitabant, Pistoriensibus venumdedere. quod cum inique a patribus acceptum esset, in Pistorienses armis, in cives legibus animadversum. Nam illi ad Varianum caesi fugatique: hi ademptis honoribus ignominia notati. Quae Rogerio Guerra praetore urbano gesta. Incommodus reipublicae hic annus extitit, Roberto antistite vita functo; expeditione in Palaestinam aliisque rebus gestis memorabili. dum successor illi quaeritur, collegium basilicae martinianae comitiis habitis, cum scissis in diversa studiis nullus suffragiorum numerum tulisset; eam tandem viam iniere, ut conjectis in urnam singulorum nominibus, qui prior sorte exisset, is tres nominaret, penes quos legendi novum antistitem jus esset. Ea ratione designatus est ex eodem collegio, cujus nomen vetustate intercidit; caeterum innocentia morum doctrinaeque fama nobilis. quem cum ad

Honorium pontificem detulissent, ut collegii designationi auctoritas ipsius accederet. Pontifex improbata comitiorum ratione, quod in re tam seria caecum sortis arbitrium sequuti essent, designatum nihilominus ob egregias dotes honorem locumque tenere jussit: quod alias oculis capta in eo sors vidisset. cui plurimum suis commendato, munus etiam detulit, Pisanos, quibus pridem sacrorum jus ademptum, Ecclesiae conciliandi (1). Insequenti anno (2) Ingherame Bernardini e Montis magni regulis praeturam gerente, Pisani velut stato bello, ne quis annus ab eorum injuriis cessaret, Virchianum Bicucamque occupavere. Sed praetor duarum regionum Donati ac Gervasii urbanis militibus raptim in hostem eductis, commisso ad Versiliae fossam praelio, fudit fugavitque. Nec amissa recuperare contentus, eodem victoriae impetu, Castellionem ejus regionis oppidum incensum direptumque solo aequavit. inde in pisanum agrum infestis signis transgressus, Ascianum ex insperato adortus, in potestatem redegit; oppidanosque vinctos Lucam misit. Eodem anno Fridericus imperator Bojorum, Galliaeque Cisalpinae plerisque

(1) Ex literis Honorii apud Raynaldum Ann. 1225 n. 46.
(2) Ann. 1226.

urbibus aditis, junio mense cum Parmam venisset, inter caeteros, qui ad eum salutandum officii causa profecti, Lucenses adfuere. e quibus nonnullos equestri dignitate auctos, memoriae proditum est (1): quae illis temporibus clara et insignis habebatur. Sacerdotum martinianae basilicae majus collegium ad hanc diem nullo certo numero definitum fuerat. itaque cum appareret semper ad honestiores eum honorem venturum, si pauciores cepissent; placuit sex denos in posterum esse: eumque numerum Honorius pontifex ratum esse jussit. nec ab eo tempore usque ad aetatem nostram mutatus: unoque tantum adjecto loco, priscam rationem excedit. Eum qui insequutus est annum (2) Honorii pontificis mors funestum reddidit: quem in magnis Palaestinae liberandae conatibus, fata terris rapuere: ei suffectus est Gregorius IX. Innocentii III. stirpe: egregius sacerdotii majestatis assertor: ob eamque causam, fortasse nimius imperii quibusdam visus. Lucenses quidem gravem severumque, non omnino immeriti, sensere. Per idem tempus praetore Oddo romano, familia consulari, instinctu atque auxilio Pisanorum, plures feroniensis provinciae

(1) Sigon. lib. 17 de Regno Ital.
(2) Ann. 1227.

populi a republica descivere. quibus bello perdomitis devictisque Pisanis opem ferentibus, Castellio defectionis caput eversum, vicique ad septuaginta direpti incensique: Rolando quodam, qui rebellandi auctor fuerat in pedes e furca suspenso: tum ad Mozanum arx capta, in quam perduelles confugerant, sumptumque de eis supplicium. Eo bello Verrucula, cujus imperium ad lucenses antistites spectabat, iisdem asserta. pauloque post (1) Novocastrum et Vinacianum, ejusdem provinciae oppida, jugum quod excusserant subire iterum coacta. Inter belli sacri apparatus, quibus Gregorii pontificis cura distinebatur, pacandis Lucensium Pisanorumque odiis, animum adjecit: quae ex longo jam tempore, mutuis cladibus uterque populus explebant. itaque misso in Tusciam ex purpuratis Jofredo, nobili Castellionum mediolanensium stirpe, ac deinde Caelestini IV. nomine septemdecim dierum pontifice maximo, pax in eas leges constituta; ut Pisani oppida antistitum lucensium juris bello occupata, restituerent. extant publicae tabulae (2) super ea re confectae, quibus a legato pontificis Lucae commorante palam est, Bontellum ac Jacobum Rapos, Orlandum

(1) Ann. 1228.

(2) MS. apud me.

Rustichellum, et Jacobum Sandaeum, qui lucensis populi consules militares appellantur, sacramento adactos, pacis leges sanxisse. quas cum deinde Pisani perjurio violassent, diris iterum ac execrationibus impliciti. Et optime quidem de Lucensibus, sancita pace, Gregorius meruerat, nisi paulo post in ingentes curas rempublicam conjecisset. Feroniensis provincia, quam saepe memoravimus, antiquis finibus, a ponte qui ad sextum ab urbe Luca lapidem Aesarem jungit, Apenninum usque protenditur. Mediam Aesar flumen interfluit, munitis oppidis vicisque admodum frequentem: quos dorso aut jugis montium plurimum impositos, aspera ac bellicosa gens incolit. ea longa tempestate, lucensis populi imperiis paruerat: sive voluntaria regulorum, quos Catanos vocabant, deditione: sive bello armisque perdomita. paruitque deinceps, nullo turbante, donec florentino bello, quod Paulo Guinisio tunc rempublicam obtinenti illatum, magna illius pars, a mutinensibus regulis tutelae nomine occuparetur. Gregorius, ut magnus romani sacerdotii vindex erat, antiqua scrutando, eam provinciam pontificum maximorum juris esse ad senatum scripsit, adjectis imperiis, quibus eam remittere, veterique domino restituere jubebat. ni paruissent, diris sacrorumque in-

terdictione ultrum. Ea denunciatione, quamquam graviter, ut par erat, moti patres, tamen insita romani sacerdotii veneratione, se imperata facturos spondent, si quidem de ejus quod postularetur jure constitisset: nec se judicium detrectare, quominus ea res disceptatione dirimeretur. Id vero pontifex in majestatis contemptum interpretatus; quasi eo responso sacerdotalis fidei religio in dubium vocaretur. Lupiae (ejus regionis vicus est) curioni mandavit, ut minaci dirarum execrationumque denunciatione, Feronienses admoneret; si qua fide, religione, sacramento, lucensi populo obstricti essent, eos in posterum solutos liberosque: nulliusque nisi pontificis maximi vectigales esse. eum justum Feroniensium dominum; nec alterius reguli, aut populi, reipublicae legibus teneri. quod cum ille strenue exequitur, Lucenses misso cum parte urbanarum copiarum Guidone Armanno ac Bottacio Velio, ad eos populos in fide continendos; curionem armis obsistere ausum, in ipso, templo captum, in custodiam misere; vico Lupia everso incensoque. palamque exuto religionis obsequio, (quod furentis populi ingenium est) milites praefectique agrum late pervagati, sacris aedibus dirutis, eversisque aris, cuncta sacerdotum diripiendo saeviere: conje-

ctis etiam in vincula, praeter minorum sacrificulorum turbam, (1) tribus e basilicae martinianae collegio, basilicae Longobardorum antistite, divorumque Donati ac Georgii sacrarum aedium praefectis: quod ubi Romam nunciatum, pontifex justa ira incensus, cum primi conatus parum processissent, sacra urbi interdixit. tum, ut altius adacto vulnere, acrior doloris sensus cives ad poenitentiam facti excitaret, antistitem a rerum sacrarum gubernaculis amovit, spoliatamque eo honore civitatem provinciamque in quatuor partes distraxit: singulasque, lunensi, volaterrano, pistoriensi, ac pisano praesulibus attribuit; summa totius administrationis florentino antistiti delata, splendorem quoque majestatemque majoris collegii basilicae martinianae imminuit: capitisque honorem, quo inter sacra utebantur iis ademit. quo deformata civitas, pristini decoris desiderio, ad sana consilia revocaretur. quod demum tertio post anno contigit: quo religione moti patres in potestate pontificis se futuros spopondere. missus ab eo Lucam Petrus Guaninus sanciendae paci: quae in eas leges coaluit; ut respublica binas arces pontificis praesidio custodiendas traderet; eaque de re confectas ta-

---

(1) Ex tabulario Tarpejae lit. a. a. a.

bulas in Vaticano extare, sacrorum annalium auctor scribit (1). His obsequiis placatus pontifex, biennio inde (2) pristinum civitati sacerdotii splendorem restituit: Guercio Testa senensi antistite creato: cum Opizo, nobili Obyciorum stirpe, ereptae dignitatis contumeliam non ferens, aegritudine animi contabuisset: redditis, tam ipsi quam collegio, antiqui honoris insignibus. Praeter caetera mala, quae sacrorum iustitium consequi solent, illud quoque acceptum, quod antistites quibus regionis cura demandata erat, pisanus praecipue, vetus tabularium compilavere, tabulis inde avectis: unde antiquorum monumentorum inopia, necessitasque ab externis rerum nostrarum notitiam petendi. Nec diu is rerum status mansit. nam pontifice, magnis turbis ob Friderici imperatoris contumaciam implicito, quadriennio post Lucenses, cum Uberto Pallavicino armorum imperium detulissent; is una cum consulibus Cremoneso Riccomanno, Macacioro Parasacco, et Bandino Bariletto, universam feroniensem provinciam reipublicae imperio iterum subjecit. nec a romanis pontificibus, ex illo tempore quicquam ea causa motum: donec Julius II. praeferocis ingenii, lucensique populo, quod inire

(1) Raynald. ad Ann. 1234. N. 11.

(2) Ann. 1236.

secum adversus ferrariensem regulum foedus noluisset, iratus, emortuam depositamque rem excitare aggressus, in eo conatu rebus humanis exemptus magna cura rempublicam liberavit.

Dum civitas simultates cum pontifice exercet, Florentinorum Lucensiumque copiae senensium fines ingressae, ad usque Senarum portas, cuncta depopulando pervenere: aditque occupato, ac in urbe etiam impetu facto, quaedam feminarum, in quas temere miles incurrerat, captae. ea clade XX. oppida ruinis absumpta, balnea eversa, captivi ad MCCLXX. abducti. bellatum quoque cum Pistoriensibus, qui captata pontificiarum irarum occasione, Morecium Bargamque per defectionem lucensi populo abstulerant. Morecium ab Aldobrandino Adimario praetore urbano statim receptum. Mox ducto in Bargaeos exercitu, late vastatus ager, quidamque rebellium capti ac supplicio affecti. in oppidi obsidione felix armorum cursus aliquandiu stetit. Nam Pistoriensibus Pisanisque opem ferentibus, obsidio soluta, et in adventum Florentinorum dilata. Verum, dum junctis copiis ad oppugnandum oppidum iterum pergunt; Pistoriensibus, qui in insidiis erant subito coortis, Florentini caesi, Lucenses Gallicanum fuga evasere, quominus collectis viribus Barga statim rursus obsideretur, civilis

discordia obstitit. quippe dum alii religione moti obtemperandum pontifici censent, alii contra, inter quos praecipue Montis magni proceres, tendunt; tumultus ingens in civitate ortus erat, cui sedando, Bernardus romanus praetor, familia consulari, quod unicum in dissensione auxilium, ad externam opem confugit: Genuensesque lucensium turbarum admonitos, ad conciliandos veteres socios amicosque invitavit, illique bonorum sociorum officio functi, missis Simone Vento, et Joanne, cui cognomen Streghiaporcus, cujus posteri inde Salvagi appellati (1), pacem concordiamque inter cives composuere: qua constituta, irae statim in hostes versae, Bargaque iterum recepta. Haerebat Genuensium animis beneficii tribus ante annis a lucensi cive in pari causa accepti memoria. Fuerat is Lazarus Gherardonus, vir magni animi, nec minoris consilii: qui cum Genuae praeturam gereret, civitate praeter ligusticum gallicumque bellum, etiam civilibus discordiis ardente; domi sapientia, foris virtute rempublicam servaverat. quare praeter socialem fidem, grati etiam animi significatio nobilem populum movebat; ne ei

(1) Folietta lib. 3, Ann. 1230.

civitati deesset (1), unde ipsi salus tranquillitasque advenisset. Alium quoque militari virtute strenuum civem ea aetas tulerat. Lambertum Millierium (alii Masinellum vocant) qui copiarum ductor, quas respublica jám Gregorio pontifici conciliata, Romanorum superbiae edomandae submiserat; praelio ad Voltumnae fanum, quo hostium opes accisae, in media victoria extinctus est. Interea Fridericus imperator per Galliam Cisalpinam signis circum latis in Etruriam descendit, et IV. Non. octobris anno MCCXXXVIII. Lucam intravit, ut rerum nostrarum scriptores perhibent; in eaque quatriduum mansit, cumque milites in subsidium postulasset, patres, quod Corvariae Vallechiaeque dynastae a republica rebellassent, excusatione usi, ut arma in perduelles servarent, impetravere. Inter caetera quae magni principis adventu civitatem tenuere, elephas praecipue spectaculo fuit: ante Pyrrhi regis tempora invisum Italiae animal; nec nisi raro postea invectum. et mole corporis et habitu, multum a caeteris abhorrente. idem mite ferumque, pacisque ac belli artibus aeque habile, et quod maxime miraculo est, in rudi corpore supra fidem ingeniosum. Sub Fride-

(1) Idem lib. 3, Ann. 1227.

rici discessum exercitus statim in Versiliam ductus a consule Aldobrandino Ballionio regulis ad obsequium cogendis: qui non contenti a lucensi populo defecisse, in eamdem perfidiae societatem plura ejus regionis oppida, Aginulphum, Montemcastrensem, Montem magnum, Posium, Stricturam, Salam, Plateam pertraxerant: quae a nostris capta atque eversa, praeter Salam Plateamque, quae antistitum dictionis erant, violatae fidei poenas dedere. Inde ad ipsas defectionis sedes Corvariam Vallechiamque profecti milites, igne ferroque cuncta depopulati, ea funditus diruere. perduelles fuga in feroniensem provinciam dilapsi, cum eo consulem appropinquare cum exercitu sensissent; adventu ejus minime expectato, arrepta iterum fuga alii alio profecti. isque in Versilia iis et dominandi et rebellandi finis. Aldobrandino consule ob insignem victoriam, triumphantis specie Lucam reverso, Pisani, quibus ea incommode acciderat, utpote excisa silva, haud amplius eorum latrociniis receptus, Fridericum imperatorem Pisis commorantem in Lucenses tamquam Guelpharum partium studiosos, incendere aggressi; magnum odii sui fructum cepisse existimabant, si illum ad occupandum vastandumque agrum impulissent. Sed patres, quibus et Pisanorum artes, et caesaris

nullo etiam stimulante, per se furentis saevitia minime obscura, occupandum officio hominem rati, legatos ad illum misere, qui eum in urbem invitarent, partique copiarum hiberna commeatusque ultro offerrent. quibus a caesare acceptis, cum partem exercitus in lucensem agrum misisset, ipse III. Non. junii insequentis anni (1) Lucam iterum venit; omni cultu ac veneratione exceptus. Sed jam tot lucensi populo, tot romanae ecclesiae illatae a Pisanis injuriae, meritam illis ultionem festinabant. cui Ghibellinarum partium favor nimiumque in Fridericum studium causam praebuit. Pertaesus hominis impietatem Gregorius, fraude ac crudelitate in profana aeque ac sacra grassantis, ex toto christiano orbe sacerdotum conventum Romam indixerat. jamque plures ex transalpinis regionibus Genuam convenerant, ejus reipublicae ope, quae cum pontifice sentiebat, Romam transmissuri. Sed Entio, quem ex furtivo conjugio susceptum, Fridericus Sardis regem imposuerat, Pisanisque, Genuensium classi, ad Maenariam Tyrrheni maris insulam, occurrentibus; cum praelium commissum esset, Entius Pisanique victores, duobus legatis pontificis maximi e patrum collegio in vincula conjectis, reliquos antistites, partim in custodiam

(1) Ann. 1239.

dedere, partim mari demersos necavere. Ex quo tempore florens Pisanorum respublica; retro in dies labi tam manifestis coelestis ultionis indiciis, ut insequenti anno ad eamdem insulam, magna clade a Genuensibus victi, praesentes poenas iratis numinibus dederint: mox aliis atque aliis calamitatibus attriti, donec tandem libertate amissa, divitiis, artibus, incolis exhausta civitate, alieni arbitrii jurisque fierent. Dum haec a Pisanis aguntur, Lucenses, Guiscardo Petrasancta mediolanensi praetore urbano, duas colonias, colligendis populis, qui Versiliae oppidis ferro flammaque deletis, incertae sedis erant, in eodem Versiliae tractu, locis mediterraneis extruxere. alteram in planitie ad radices alpium; quas Lucenses vocant Campi majoris nomine, in quam ex aliis Versiliae oppidis, praeter Vallechiam Corvariamque, incolas deduxere: quae postea subinde aucta, murisque clausa, opibus virisque ac ingeniorum gloria floruit. pluribus nobilibus familiis civitati datis. Alteram militari viae appositam inter montes paludesque, ubi quondam Feroniae fanum stetisse fama est; quae in praetoris honorem, ex ejus cognomine Petrasancta appellata: in eamque Vallechiae, Corvariaeque incolae traducti. Sed quae conditorum suorum parum memor, manente in

posteris rebellandi ingenio, saepe dominos proditione mutaverit: ob loci opportunitatem, magno regum liberarumque civitatum ambitu expetita aut retenta. de qua saepius fani Feroniae nomine in posterum agetur. Utriusque oppidi incolis plures immunitates concessae: quarum ea praecipua, ut qui in urbem domicilii causa migrarent, eo jure cives essent, quo qui optimo. ex quibus Annii, decretique ab eo conficti fabula arguitur, Petrasanctae originem ad Desiderium Longobardorum regem referentis. Dum in agro novis coloniis dominatio augetur, in urbe clades ex fortuito incendio duobus locis accepta: uno prope D. Petri coelicolae aedem; altero a DD. Joannis et Reparatae, magna ejus templi parte flammis absumpta. nec incendio solum, sed terremotibus etiam per id tempus in urbe laboratum. Nam VIII. Kal. maii insequentis anni (1), nocturno tempore, ter ingenti motu terrae concussae, nutantibus aedibus turribusque, tantum terrorem injecere, ut passim nudi e tectis in apertum profugerent. Majore motu christiana respublica quatiebatur; tum Chorasminorum irruptione, qui Arabici sinus accolae, praeter insitam ferociam religionisque odium, Scytharum

(1) Ann. 1243

metu sedibus patriis exciti, sacram Hierosolymorùm urbem occupaverant (1): tum Friderici imperatoris contumacia; adversus quem Innocentius IV. qui Gregorio, post breve Caelestini IV. septemdecim dierum sacerdotium successerat. acto Lugduni Galliarum sacerdotum conventu; perfidiae impietatisque, aliorumque immanium quibus se se obstrinxerat scelerum damnato; imperium abrogavit. qui tamen usque ad extremum spiritum contumax, quem jure amiserat, principatum vi et armis retinuit: non minus ferro quam stylo scriptisque romano sacerdotio infestus. quem deinde mali principes magistrum habuere solvendae religionis, spernendique sacram pontificum majestatem: quorum non postremum in nostram aetatem spectandis sceleribus genitam, irata terris numina contulere. Fridericus abrogato imperio, omnes qui per Galliae Cisalpinae urbes Etruriamque, pontifici Guelphorum nomine favebant, vexare aggressus; eos Mutina, Parma, Regio Lepidi expellendos curavit: Lucensibusque, dynastarum calumnia cum provinciam feroniensem abjudicasset, nepoti Henrico regendam tradidit. irati lucensi populo erant ejus provinciae reguli, haud ita pridem ob defectio-

(1) Ann. 1244.

nem ejus vim experti. quare transeuntis per fines suos caesaris occasione arrepta, reipublicae, eam criminibus onerando, infensum reddiderant. Lucensesque majoris mali metu, arcem ad Corsenam vicum, medicatis aquis postea celebrem everterant; ne si ab infenso homine occuparetur, negocium ipsis facesseret. Amissa per hanc injuriam feroniensi provincia, aderat iduum septembrium dies, pervigilio exaltatae Crucis lucensi populo praecipuo cultu sacer. In honorem Sancti Vultus, Lucam olim advecti, majores instituerant, ut vespertina pompa eo die senatus magistratusque reipublicae cum antistite universisque sacerdotum ordinibus, solemni cultu velatis, a basilica martiniana ad basilicam Longobardorum supplicarent. Ad eam supplicationem lege cautum erat, ut e singulis oppidis, honesti viri publice mitterentur, qui pro dignitate gentis pluris minorisve pondo cereum praeferrent. quem morem caeteris manentibus, aetate nostra tolli placuit: saepius turbarum aemulatione dignitatis inter municipes causam; et ab honestis ad humiles vulgaresque jam traducto ministerio. Caeteris igitur ad praestitutam diem convenientibus, soli feroniensium oppidorum procuratores obsequio defuere. Erat eo tempore Lucae Sconcius nomine, Castellionensis

praefecturae scriba; qui piaculo quo se ea gens indueret, obviam eundum ratus, aere suo cereum comparavit, atque ipse publico nomine inter supplicandum insigni religione praetulit. Ea res a feroniensibus regulis audita, tamquam stipendiarii lucensis populi eo praejudicio iterum facti essent, tantum irarum concivit, ut sicarios in urbem immitterent, qui scribae dexteram, religioso, ut putabant, ministerio sacrilegam amputarent. Et scelus quidem ad eorum votum processerat, si nefariis hominibus, quantum ad perpetrandum audaciae, tantum solertiae ad cavendum fuisset. quippe ob atrox facinus mota civitate, rei comprehensi, praetorique urbano (is Burgundio Malfiliaster Cremonensis erat) traditi abscissae manus capite poenas luerunt. mox in auctores, quorum jussu sacrilegium admissum erat, irae conversae: missique cum militibus praefecti, qui a perduellibus poenas exigerent. itaque una divinam reique publicae majestatem ulciscendo plura oppida igni ferroque vastata, arces eversae, villae direptae. cumque reguli in Versiliam fuga dilapsi, se ad Ubaldos contulissent, cognito oppidum, cui illi imperitabant, ex dimidia parte ad Lucenses spectare, inde ad Pisanos confugere. oppidum praetio Ubaldis persoluto totum reipublicae em-

ptione factum. Reguli et potentiae recuperandae, et ultionis avidi, apud Fridericum, cujus partes, Guelphis Florentia pulsis Miniateque oppido occupato, in Etruria valescerent; de Lucensium injuriis questi, ab eo impetravere ut Bonaccursus Padulius, in feroniensem provinciam, ipsis restituendis Lucensibusque dominatu regionis spoliandis mitteretur. Sed malo suo hominem accitum brevi sensere. quippe cum superbe avareque haberentur, nec explendis cupiditatibus ejus sufficerent, clementiam lucensis populi respicere coacti, mite reipublicae imperium iterum subiere (1). Lucenses Bernabone Malespina ex lunensi provincia cum copiis evocato, ejus ope Bonaccursum, regulis juvantibus interimendum curavere. pulso etiam Uberto Pallavicino (2), cujus virtute aliquot ante annis ea provincia recepta fuerat: cum eum fraude agere compertum esset; idque moliri ut eam a lucensi populo abalienaret. qui a Lucensibus pulsus, ad Entium regem se contulit. Oppugnabat eo tempore Entius summa ope Bononiam; veritusque ne Lucenses amicae urbi valida auxilia submitterent, iis sibi conciliandis, patris Friderici jussu feroniensem

---

(1) Ann. 1247, et 1248.

(2) Ann 1249.

provinciam habendam possidendamque reipublicae remisit, ut ex vetere tabulario incorruptae fidei Ptolemaeus auctor in annales retulit. Sed non ideo res prospere Entio cessere. quippe Deo contra illum pugnante, cum Bononiensibus congressus, amisso exercitu vivus in potestatem hostium venit: carcerique inclusus, in ea demum tertio ferme et vigesimo post anno extinctus est. Filii regis captivitatem, patris imperatoris brevi mors subsequuta. quippe Fridericus ea clade animi aeger, corpus etiam sacro morbo depascente, sceleribus suis, ut quidam tradunt, obstrictus, vel ut alii volunt, solutus expiatusque Fidentiae in Apulia idibus decembris vivere desiit, non sine veneni suspicione. pulvini etiam injectu, a Manfredo filio, quem furto genuerat, quorumdam opinione spiritu intercluso. Princeps alias egregius, deque literis optime meritus; nisi praeclaras ingenii fortunaeque dotes sacrilegiis foedasset.

Friderici morte Ghibellinarum partium opes attritae. Luca omnes ejus factionis homines pulsi, neve proinde tumultus oriretur, Thomas Malanoctius praetor urbanus, novum magistratum civitati custodiendae creavit, ducis populi nomine: penes quem rei militaris summa potestas esset. quod exemplum Florentini sequuti, abrogato praetori magistratu, et ipsi

populi ducem creavere (1). primusque eum honorem cepit Ubertus lucensis, cujus opera Guelphi in patriam restituti: qui magistratus deinde, ut dictatura olim Romanis, libertati gravis Lucae extitit. quippe illum primo Castruccius, deinde Paulus Guinisius gradum ad dominationem habuere. Eodem anno bellatum cum Pisanis in Versilia ac lunensi provincia: captaque Trebianum, Sala et Castellio; legati quoque ad Conradum, qui Friderico patri in regnum successerat, missi, qui eum de morte parentis consolati, regiam dignitatem gratularentur. benigne a rege excepti auditique, omnia quae per parentem fratremque de feroniensi provincia acta erant in favorem lucensis populi, rata in patriam retulere. Inter Venetos Genuensesque, insequenti anno, pax Lucae sancita (2): cum utriusque gentis legati in urbem venissent. Veneti Petrum Gradenigum et Jacobum Dorum; Genuenses Guidonem Spinulam et Ugonem Fliscum feciales cum potestate misere. Sed dum civitas alienae paci sedem praebet, suo bello ardebat. Pisani paulo ante Castellionem in Versilia amissum, iterum occupaverant. Verum Lucenses cum praetore

(1) Ptolem. Lucen. S. Antonin. Villan.
(2) Ann. 1251.

Matthaeo Gallucio ac DCCC. peditum, CC. equitum manu illuc profecti, tandem post duorum mensium obsidionem illud obtinuere. Praetore cunctante ac consulto ab oppugnatione abstinente; dum sanguinis parcus, mavult oppidum habere quam vincere, ejus oppidi deditione, Serralium (1) quoque, quam et Seraviciam appellant, in potestatem lucensis populi redactum. pugnatum quoque eo anno cum Pistoriensibus ad Nevulam fluvium; quem Bujani occupandi spe cum copiis transierant: fusique ad Cocilium usque, in edito monte supra Massam situm, fuga dilapsi. quos insequuti Lucenses, oppidum ipsum vi expugnatum obtinuere. inde in auxilium Florentinorum versi, quod Montaream a Ghibellinis in regione ad Arnum occupatum obsidebant; Senensium Pisanorumque copiis deletis, in victoriae societatem venere. Mox Toparii recuperandi studio, quod antistitum juris oppidum, Pisani per injuriam occupatum detinebant; communicatis cum antistite Guercio consiliis, arma in eam expeditionem conversa. Pisani metu, Senensium auxiliis accitis, munitoque validioribus praesidiis oppido, magno equitum peditumque numero

---

(1) Seravezza

ad Arni ripam consedere. Lucenses cum se junctis duorum populorum viribus ad pugnam impares cernerent, Florentinorum opem sociali foedere implorarunt. haerebat ea tempestate Florentinorum exercitus, circa Titianum Pratensium oppidum: quod operibus ac praesidio validum, serius opinione tandem expugnatum. ea res in mora extitit, quominus tempestive auxilia submitterentur. Itaque cum Pisani Lucenses in pugnam provocassent, recusandi pudore praelium initum. Sed cum nostri longe numero vincerentur, undique ab hostibus circumvecti, partim caesi, partim capti: plures fuga elapsi ac respicienti fortunae servati. Tristis de sociorum clade nuncius Titianum perlatus, Florentinis dilatae opis pudore festinandae ultionis impetum fecit. itaque raptim eductis copiis, Toporium advolant. Sociorum adventu recreati Lucenses, qui pugnae superfuerant, acie restituta, Pisanos Senensesque victoria elatos praedaque ac captivis graves, solutisque ordinibus incuriose incedentes a tergo adorti, primo terrorem injecere. mox, redintegrato praelio, illis retinendo victoriae fructu, his pro ultione ac sociali fide pugnantibus, tanta repente fortunae conversio facta, ut paulo ante victores, alii passim caederentur, alii praecipiti fuga dilaberentur, maxima pars in nostrorum potesta-

tem venerint. caesorum numerus iniri non potuit. ad tria millia Senensium Pisanorumque capta. praeda omnis cum captivis recepta. Pisanus quoque ager late vastatus. in qua victoria illud impotentis fortunae ludibrium extitit; quod iisdem restibus vinculisque, quibus constricti Lucenses fuerant, Pisani Senensesque vincti traherentur. auxit triumphi splendorem ipse Pisanorum praetor captus, Angelus romanus gente Eustachia vetustae nobilitatis. Nec diverso fato sub idem tempus cum Pisanis ad Ascianum pugnatum, Guidone Estense praeturam gerente. quippe Lucensium impetum minime ferentes in fugam versi: nostris usque ad Pisarum moenia in tergis eorum haerentibus: in quo praelio egregiam operam praetor ac duo Simonetti fratres praecipue praestitere. Nec ipsum Ghibellinorum caput felicius agebat: quippe Conradus per haec tempora extinctus est (1): cui breviorem impietatis cursum, quam Friderico patri fata dedere. decessit non sine veneni suspicione, ut fama tulit: Manfredo parricidium fraterna morte cumulante. Virilis stirpis unicum Conradinum reliquit, infelicem puerum, et ad magna sortis ludibria reservatum: de

(1) Ann 1254.

cujus exitu in tempore memorabimus. Conradi morte, qua spe parricidium perpetraverat, Manfredus regnum invasit: falsis etiam de Conradini exitu, sparsis rumoribus. quo promptioribus animis populorum uteretur. et quidem veneficio puerum adortus erat; processissetque parricidae in cognatum sanguinem novissimum scelus; nisi matris calliditate, qui missi a Manfredo fuerant, decepti essent: objecto privato puero, qui Conradini vice, mortem bellariis inditam hausit. Erat Manfredus eximio aetatis formaeque flore, vultu hilari, habituque totius corporis augusto; quas naturae dotes conciliandis vulgi amoribus aptae virtutes, comitas liberalitasque commendabant. praeterea saltandi canendique artium gnarus: et quod illi paternum maternumque, animo in libidinem effuso. Nec virilia scelera deerant. idem saevus et sanguinarius, geminato parricidio infamis, fidei religionisque hostis; quae illi a patre avisque relicta haereditas. non sacris hominibus, non aedibus parcere: contemptumque numinum jocum risumque habere. Hoc duce Ghibellinorum partes tota Italia, ac per Etruriam maxime, convaluere. Guelphisque etiam illud incomodi accessit, quod Innocentius pontifex, suevo sanguini fatalis, Idibus decembris, eodem, quo quatuor ante annis

Fridericus excesserat die, extinctus est: magna sapientiae, magna integritatis, majore etiam assertae religionis adversus impios principes fama. Sed brevi renunciatus Alexander IV. eadem qua Innocentius III. ac Gregorius IX. stirpe genitus, amissi desiderium non parum leniit. non minoris constantiae adversus tyrannos, quibus ea aetas praecipue abundabat, eorum haud dubie principibus Ezelino Patavinorum, ac Alberico Tarvisinorum regulis. germanorum pessimum par, quique saevitia Dionysios Neronesque absolverent. Adversus gliscentem Ghibellinorum potentiam, foedus inter etruscas civitates initum, quae guelphas partes tuebantur: quarum principes Florentia, Luca, Herbanum fuere; quarum junctis viribus plura hoc anno digna memoratu gesta. Senenses primi, foederatorum arma sensere. quorum late vastatis agris, tandem Mons regius, in edito monte ad octavum ferme lapidem situm oppidum, obsideri oppugnarique coeptum. quod si occuparetur, quae mala civitati ipsorum imminerent, Senenses reputantes, pacem vel iniquis conditionibus accepere. Tabulae per Brunettum Latinum, insignem illius aetatis scribam, quo magistro Dantes usus est, in has leges confectae: ut Ilcinium, ac Politianum Florentinis; Campilia Papo vicecomiti

remitteretur, inita cum Ghibellinis guelpharum civitatum exulibus pacta irrita essent. captivi Florentinis Lucensibusque, aliisque foederatis populis redderentur. Senis victor exercitus reductus, in itinere Bonitium deditione, Variam (1) Squarcialuporum oppidum vi obtinuit. Inde Volaterras profectis, cui civitati ghibellina factio imperabat, eo consilio ut agris tantum vastitatem inferrent. quippe urbem situ et operibus validam aggredi, majoris operis quam pro praesentibus viribus videbatur. Verum id ubi audacia haerebat, sponte casus explicuit. oppidani eruptione facta, dum temere ac incondite copias foederatorum aggrediuntur, earum vi repulsi trepide in urbem refugiunt. eorum pavore custodes portarum territi, et ipsi fugae praesidium petunt. quare Guelphi cum exercitu nudatam custodia urbem ingressi sine ullo maleficio Ghibellinis ejectis, suarum partium homines restituunt: ordinataque in hunc modum republica, in Pisanos pergunt. Pisanam rem ea tempestate civilis discordia agebat; simultate inter plebem patresque exorta. quare veriti ne externis domesticisque hostibus uno tempore

(1) S. Antonin. al Villan. Martenanam vocat.

sufficere non possent, pacem ultro petivere. Ea in has leges concessa. ut Florentini Lucensesque vectigalibus terra marique immunes essent. Librafacta Lucensibus remitteretur: omnesque inter pisanum lucensemque populum controversiae, ejus quem Florentini judicem dedissent, arbitrio finirentur. alia quaedam praeterea cum Pisanis pacta; in quae quinquaginta ex primoribus civitatis obsides imperati. Pace cum Pisanis in has leges sancita; Guiscardus Petrasancta Florentinorum praetor dirimendis litibus arbiter datus: Mutronem in maritimis ejusque arcem, Massam lunensem, Vurnum, Computum, Rotarium in Versilia, atque alia nonnulla oppida reipublicae: antistitum vero lucensium juri Toporium, Palaria, Fanum Gervasii, cum aliis quibusdam pagis adjudicavit. Sed ea pax non diu mansit. Pisanis florentini praetoris judicio stare recusantibus. sponte motos instigabant praeterea, lucensi populo ob incendia ruinasque oppidorum irati, Versiliae reguli. quare Lucensium fines ingressi; nostris occurrentibus, cum ad Vechianum collata signa essent, fusi fugatique male gesta re Pisas rediere. Sed cum vires suas tot populorum armis impares cernerent, missis clam Neapolim ad Manfredum nunciis, docent quo loco Ghibellinorum res in Etruria sint, culpa

praecipue Florentinorum Lucensiumque, qui adversae partis duces essent. ni auxilia propere submittantur, ghibellinum nomen, quod nunc in dies obsolescat, paulatim interiturum(1). Regis consilio, manuque Pisani adjuti, in lucensem agrum transgressi, circa Aesarem fluvium castra locavere. pontisque oppugnationem adorti, una cum regiis copiis summa vi aditum ferro moliuntur. Sed Lucenses Florentinorum adventu aucti, cum ab oppugnatione eos in praelium pertraxissent, inclinata demum Pisanorum acie, insignem victoriam retulere. capti ad tria millia, plures caesi aut vulnerati. quidam dum improvide vadum fluminis tentant, vorticibus hausti: caeteri praecipiti fuga caedi ferroque subducti. quos nostri usque ad Pisarum moenia insequuti, contumeliam insuper affecere, aureis nummis in ipsa porta percussis: quod insultandi victis genus, ea tempestate summum dedecus habebatur. agro deinde igni ferroque, praedaque acta vastitas illata. quam ob cladem ad iniquae pacis leges Pisani compulsi, cui tamen Versiliae regulos ob inveteratam perfidiam adscribi minime placuit. Per hunc modum op-

(1) Ann. 1256.

pida, quae Pisani reipublicae abstulerant, recuperata; redditis etiam quae ad antistites lucenses spectabant: ferro et armis eo adacti, quo ex tanto tempore, neque minis neque execrationibus pontificum adduci potuerant. Cautum quoque ejus pacis legibus, Genuensibus veteribus sociis: qui missis Principalle Auria et Nicolao Grimaldo, Trebianum Erycisque portum, a Pisanis olim occupatum, recuperarunt. Mutronis arcem portumque aegre apud Florentinos deposuere. a quibus deinde, Bonifacio Bonturio Lucensium nomine recipiente, reipublicae redditus: ea lege, ut florentinis negociatoribus pateret. Ferunt Florentinos primo de Mutrone evertendo dubitasse; sed cum Pisanos id quoque agere, pecunia apud populi principes interposita compertum esset, sententiam mutavisse: ratos, fidele consilium proficisci ab hostibus minime posse: nec suasuros Pisanos unquam, quod ex usu Florentinorum fuisset. Per idem tempus Guiscardo Petrasancta praetore iterum, Fanum Feroniae et Campusmajor, in priore praetura ab eo in Versilia condita, novis colonis eo traductis, ac immunitatibus aucta. Foedus cum Genuensibus renovatum, cum id per legatos flagitassent: missusque Guiscardus praetor Genuam, qui tabulas Lucensium Florenti-

norumque nomine conficeret. proficiscenti a Genuensibus, vexillum D. Georgii, quo in praeliis uti solent, dono datum. excessit eodem anno antistes Guercius, sacerdotii decore in civitatem reducto, receptisque oppidis memorabilis. Ei Henricus successit (1); qui primum Toporium ejusque praefecturam Galganetto Perfettucio regendam commisit. inter initia Henrici, aedes in honorem D. Jacobi in extrema suburbiorum parte, eo loco, qui ad Tumbam dicitur, extructa.

Interea cum Manfredus, rebus suis jam confirmatis, Neapolis Siciliaeque regnum obtineret; omnique ope ghibellinarum partium homines juvaret; Florentini ac Lucenses renovato iterum foedere arctius inter se coiere. quo tempore, argumentum hujus arctae conjunctionis, tam Lucae quam Florentiae, utriusque populi insignia junctim appicta, in celebrioribus urbis locis, spectaturque adhuc Lucae post tot saecula, in pariete ex adverso palatinae turris, ubi quondam Rosoimpelorum aedes stetisse dicuntur, harum civitatum mutui amoris documentum; parma scilicet alba cui purpureum lilium insidet: quod Florentinorum

(1) Ann. 1259.

guelphae partis insigne extitit: cum vexillo lucensis populi, ex albo purpureoque distincto. Victoriis amicitiaque vicinorum populorum florentem urbem, orta inter patres plebemque discordia turbavit. Sed ea brevi praetoris Guiscardi, sociorumque Florentinorum, qui pacis sequestres adfuere, sapientia discussa. quare a civibus arma in hostes versa: in agroque pistoriensi igni ferroque saevitum: tribus etiam oppidis Belvederio, Cerchia et Montali captis. Fervebant eo tempore maxime(1), tum Manfredi regis instinctu, tum populorum per se furentium rabie, per Etruriam factiones. Ghibellinique Florentiae Farinata duce cum gente Ubertorum, cujus ipse princeps erat, id praecipue moliebantur, ut populo a reipublicae gubernaculis amoto, urbem totam ad suas partes traducerent. quod cum ad Jacobum Bernardium lucensem, qui tunc Florentiae praeturam gerebat, permanasset, missis apparitoribus ad comprehendendos conjuratos, populoque etiam ad arma concurrente, quidam Ubertorum caesi, alii consciorum capti, ac praetoris sententia securi percussi. Farinata totius conjurationis artifex, inter tumultum elapsus,

(1) Ann. 1259.

Senas exulatum abiit. Nec tamen vir inquies suae alienaeque reipublicae perturbator, infelici prioris conatus exitu animum despondit. Sed quibus artibus patriam convellerat, iisdem Lucam aggressus, clam per amicos agere coepit, ut vulgus ghibellinarum partium studiis incenderet. quod ubi patefactum, factione Guelphorum praevalida, publicae tranquillitatis hostes urbe pulsi. Verum parte plebis jam ea contagione infecta, ad arma et vim procurrente, Nicolai Vacchellerii bononiensis praetoris sollicitudine, qua comiter appellando, qua nimis terrendo, nonnullis etiam, qui seditionis principes extiterant, supplicio affectis, ea tempestas discussa. Egregium fidei socialis exemplum eodem anno Lucenses edidere: scriptoribus genuensium rerum prolixe laudatum (1). Renato Russo lucensi Genuae praeturam gerente, magnae simultates inter Venetos Genuensesque in oriente levibus causis exortae, in apertum bellum eruperant. victique Genuenses ingenti clade apud Ptolemaidam navali praelio, in magnis rerum omnium ac nummariae praecipue angustiis erant. Lucenses amicae nationis calamitate moti, duum

(1) Folietta, et Interian. ad eum annum scilicet 1259

millium marcarum argenti (id octo unciarum pondo antiquitus nomen) liberaliter Genuam sponte donum misere. munus, quam grato animo acceptum, tam magno remissum : jussumque ad asperiora servari. Et profecto in eos saepe alias, sed nunquam majore fortunae malignitate, quam memoria nostra saevitum. cum classis gallica ex tuto pilarum ignearum portentosi operis jactu, pulcherrimae urbis maximam partem diruit; publicas privatasque aedes, in iisque templa et aras, nulla numinum reverentia, una clade involvendo. per quae gloriosae olim Francorum genti, tamquam barbarae ac impiae, generis humani odium in omnes aetates quaesitum. Quo tempore Lucenses ab optimis aeque ac miseris sociis, ejus calamitatis admoniti, quod unicum licuit, verborum officiis solatia adhibuere: auxilium et vi mali, et magnitudine hostis prohibente. Sed redeo in spatium unde me praesentium temporum iniquitas abduxit. Interea Ghibellinorum potentia in dies augeri Manfredi potentia; qui paternorum odiorum in romanum pontificem haeres, et suo et avito scelere grassabatur; quorum furori comprimendo, Alexander pontifex, cum lenia parum profecissent, bello et armis agendum ratus; sumptu in sacram expeditionem, tributum sacro ordini in-

dixit(1). huic collationi in Lucensi exigendae, Ubaldus Lammaris curio, a pontifice lectus: cui tres alii adjuncti quaestores, Marcellus curio Tassinianensis, Rodulphus e D. Georgii monachis, et Juncta aedis D. Mariae Cortis Rolandinghae aedituus. Censu acto, in urbe agroque templa aedesque sacrae DCXCII. repertae: hospitales domus XLI. asceteria XXV. summa annui proventus centena quinquaginta duo millia DCCXXXVII. florenum aureorum aequavit. Nec pontificis conatus in irritum recidere. quippe ut superiore anno Ezelinus, ita hoc Albericus ejus frater pessimum omnis memoriae tyrannorum par oppressus. Tristior fortuna guelphas partes in Tuscia excepit. Florentini congressi cum Senensibus, quod et ghibellinae factionis essent, et Farinatam cum exulibus recepissent, eos magna clade vicerant. caesa ad unum Germanorum cohorte, quam rex in auxilium submiserat. Vexillo regio, cujus potiti fuerant, in contumeliam per terram tracto. qua suorum caede, ac insuper ignominia, quam exules legati ad eum profecti, fando etiam majorem fecerant, rex incensus; Jordanum affinitate sibi junctum, cum validis Germanorum auxiliis in Etruriam, labanti suorum factioni fulciendae ire jussit. Florentini

(1) Ann. 1260.

et ipsi copias auxerant, collectis undique ex urbibus foederatarum gentium auxiliaribus: Bononia, Pistorio, Prato, Volaterris nec non Miniatensibus ac Geminianensibus pro virili opem ferentibus. Inter caeteros populos Lucensium praecipue auxilia eminebant magno equitum peditumque numero e civium flore, Duce Amfrione Obicio, ad id bellum profecta. Jamque XXX. peditum millia, equites MCCC. foederatorum exercitus explebat: cum in senensem agrum transgressi, ubi Perusinorum ac Herbanensium equites illos opperiebant. ad Arbiam fluvium obscura ad id tempus fama, mox Guelphorum clade nobilitandum consedere. Erant in castris Florentinorum, qui occulte Ghibellinis favebant: remque ita cum Farinata composuerant, ut simulata in tempus fide, ubi praelium commissum esset, in ipso pugnandi ardore transitione facta, suorum animos aciemque inclinarent. Itaque pugna inita, cum repente proditores in partem Ghibellinorum transissent, digressu suo primum sociis miraculo, dein timori fuere. equitatus tamen pugnam strenue obibat; quamquam Germanorum acies acriter in eum invecta ingentem tumultum intulisset. sustentatumque esset, nisi Buccae abatis scelere afflicta partium fortuna concidisset. is ut proximus vexillario equestris agminis constite-

rat, cum praelium maxime arderet, elato gladio manum illius amputavit: sequutoque manum vexillo, repente eo spectaculo tota acies turbata, ingenti trepidatione pugnae ordinem dimisit: cum suorum proditione, nec cui fiderent, nec quos caverent, satis nossent: et praeterea Germanorum impetu obturbarentur. ii quibus audacia virtusque major, circa militarem currum stipati confertique restitere. ibi acerrimum praelium fuit, parque praelio strages: cum summum militiae decus, in eo retinendo capiendoque, opinione illorum temporum verteretur. circa illum Guelphorum promptissimi cecidere: neque ideo evictum quominus opimum illud spolium cum omnibus impedimentis, caeteraque castrorum praeda in hostium manus veniret. cecidere in acie ad MMD. capti MD. longe major caesorum captorumque numerus post praelium fuit. Nam cum Lucenses una cum Florentinis ac Herbanensibus novo praelio instaurando, se se Montem Apertum, munitione oppidi confisi recepissent; arcta obsidione clausi, deficientibusque alimentis, ad deditionem coacti, pene ad unum omnes interfecti. Tantaque ea clades extitisse dicitur, ut nulla Florentiae Lucaeque domus, lacrymis funeribusque vacua fuerit. quippe quinque millia civium eo praelio amissa, ut non alias luctus major urbem occupaverit. in com-

mnni orbitate, feminarum praecipue dolor eminebat, passis crinibus lugubrique ejulatu, aliis parentes virosque, aliis filios fratresque, aut aliarum necessitudinum nomina, in publica orbitate deflentibus. ut tota Etruria, si parva magnis aequare liceat, non minor tumultus ac consternatio fuerit, quam deletis olim ad Cannas exercitibus, Romae extitisse, fama literarum accepimus. Eam cladem ruina guelpharum partium per Etruriam sequuta: cunctaeque civitates victorum arbitrium subiere. Sola Luca in publica omnium defectione fidem retinuit: guelphaeque factionis undique exulantis asylum fuit. quippe Amfrio, cum reliquiis infelicis exercitus, in urbem reversus, inde Ghibellinos omnes expulit: quod in caeteris aliis civitatibus fecerant, Lucae pati coactos. Florentini praecipue, in ea rerum desperatione, cum liberis conjugibusque ac totis familiis Lucam migravere: inque sinum amicae urbis benigne excepti, patriam penatesque, humanitate hospitum non nimis desideravere. Locus illis ad habitandum, vici Longobardorum basilicae proximi datus: coetusque Guelphorum de communi salute deliberantium in ea basilica ex eo tempore agi coepti. extat ad hanc aetatem in ea basilicae parte quae in septemtriones vergit, lapidi insculptum Guelphae fa-

ctionis insigne: aquila, scilicet implicitum serpentem unguibus tenens. quod vulgo inobservatum in antiquitatis gratiam adnotare non ab re fuerit. Ghibellini victores Florentia potiti, cum Guidonem cui Novello nomen e Guidiis regulis praetorem creassent, Jordano comiti armorum imperium detulere. ab eo florentinus populus in Manfredi regis verba sacramento adactus: Guelphi exules proscripti, eorumque bona publicata. eaque rabies Ghibellinorum extitisse dicitur, ut de pulcherrima Italiae urbe diruenda, tamquam omnis belli arce, consilia agitasse memoriae proditum sit. neque intra verba furor constitisset, nisi Farinata totius cladis auctor, sapienti ratione eam mentem ab impiis civibus avertisset. eodem tempore patriae servator et proditor.

Mersam luctu civitatem (1) magni thesauri inventio recreavit, quippe paulo post coelesti admonitu D. Paulini, in cujus tutela lucensis populus est, corpus repertum, quod mille ferme ac ducentis annis defossum latuerat: veluti melior ille urbis nostrae parens et conditor, filiis suis solatium adhibiturus, lacrymasque detersurus e coelo adfuisset. cum eo reperti Severi ac Theobaldi cineres, qui una cum Paulino, pulchra olim morte pro religione,

(1) Ann. 1261.

Lucensium primi occubuerant. quo factum est, ut tot civium arbiensi clade amissorum jactura minus sentiretur. auxere gaudium sacra pignora solemni pompa per urbem delata: senatu ac magistratibus, ac universa civium multitudine prosequente. cui supplicationi, majestatem quoque a Joanne Cajetano pontificis maximi per Etruriam legato accessisse (1), quidam ex nostris memoriae prodidere(2). quem Lucam missum, ob egregiam in romanam ecclesiam fidem, guelpharumque partium undique exulum in ea tempestate confugium, haud absimile vero crediderim. Ob recentem victoriam elati Ghibellinorum duces, dum fracti adhuc consternatique Guelphorum animi trepidarent, occasione utendum rati, collectis ex Etruria universa viribus, lucensi agro se se superfudere. quicquid Florentiae, Senis, Arretii, Pistorii, Prati, Pisis, Perusii, Volaterris ghibellinae factionis fuit, Novello duce Jordanoque cum Germanis comitante, in perniciem cladem que Lucensium conjuravit. peditum acies sine numero: equites tria millia explebant. cum his copiis Arni incolas vastare aggressi, in Castrum Francum, Crucisque fanum, nec non Cappianum Gallenamque, ante

(1) Rainald. Ann. 1263, num. 75.

(2) Franciotius in vita.

direpta, igni ferroque saeviere. inde ad obsidendum fanum Mariae ad Montem versi, cum tres menses circa illius moenia haesissent, tandem oppidanis alimentorum inopia ad deditionem compulsis obtinuere: ea lege ut asportare sua, et abire incolumes liceret. eodem victoriae cursu Puteus Calbulumque, ejus regionis oppida, in hostium potestatem venere. mox exeunte anno, in Phocenses profecti, oppidum montis jugo ad profluentem Arni situm, corona undique cinxere: ballistisque ac tormentis moenia quati coepta. tum ingentis ponderis lapides, machinis in sublime elati intra oppidum ingerebantur; quorum ex alto recidentium impetu non aedium modo tecta confracta, sed caetera quoque tabulata magno incolarum periculo ac metu, ingruentis ruinae pondere solvebantur. Sed et propugnatorum virtute, (quippe eo flos etruscae nobilitatis guelpharum partium confluxerant) et adversa hyemis tempestate, solo etiam aestivis temporibus limoso ac palustri, trigesimo die obsidio soluta, hostesque in hiberna domum reversi. Constat oppidum praecipua lucensium ducum Locti Chiatri, et Bellominis Viviani virtute servatum, quibus vetus auctor Ptolemaeus, egregii facti memoriam ad posteros non invidit. Inter haec Alexandro pontifice aegritudine animi

ob infelices Guelphorum exitus, ad Voltumnae fanum, quo ad componendas Venetorum ac Genuensium discordias secesserat, extincto, Urbanus IV. gente Gallus successerat, ut fastigii ita justorum in Ghibellinos Manfredumque odiorum haeres: quem tandem, accito in Italiam Carolo Ludovici Francorum regis fratre, regno vitaque exuit. Sub ejus pontificatus initia, gliscente in dies Ghibellinorum potentia, Lucenses, Florentinis exulibus ei consilio adhibitis, de sententia Bertoldi Ursini praetoris urbani, legatos in Germaniam ad Conradinum destinavere: qui calamitosum Etruriae statum docentes, opem implorarent, eumque avitis Italiae Siciliaeque regnis patrui fraude spoliatum, ostentatis guelpharum partium viribus, in ultionem accenderent. Profecti Lucensium nomine Rolandus Rustichellus, et Guido Obicius: quibus a Florentinis comites dati Bonaccursus Adimarius, et Simon Donatus. benigne a puero rege ejusque parente excepti; jussique interim bonum animum habere, donec immatura bello aetas annis firmaretur. ubi juventae robur adolevisset, ducem se ac vindicem Guelphorum polliceri. non minus cordi sibi majorum decora, quae per vim dolumque tyrannus abstulisset. verborum officiis factum adjecit, quod per se leve, auctoris nobilitate, haud perinde

apud vanas vulgi mentes acceptum: abeuntibus regium amiculum humeris detractum dono dedit. adjecto, irent, pignusque adventus sui popularibus ostenderent: ipsum mox cum exercitu sequuturum. inani spe onerati cum Lucam redissent, advocata intra basilicam Longobardorum concione, legationem ordine exponunt: simulque pelliceam clamidem, venturi regis pignus, ostentando, in tantum gaudium multitudinem conjecere, ut obortis lacrymis passim absenti puero plauderent. eùmque animis ac cogitatione complexi, puerile amiculum, non aliter quam sacrum ac coelo delapsum munus aspicerent. ludibrio mentium humanarum, in futuri caligine versantium, ignari quantas clades, ubi aetas adolevisset, puer ille guelphis partibus, Lucensibusque praecipue, esset illaturus. Lucenses exulesque Florentini (1), quamquam ex Germania verba pro re tulissent, non ideo animum despondere. Sed missis copiis noctu clam Signam oppidum ad VI. a florentina urbe lapidem, occupavere; eo consilio, ut novis munitionibus, firmatum, ob loci opportunitatem, ad exercendas in hostium agro excursiones, infestaque omnia circa Florentiam habenda tutus

(1) Ann. 1262.

receptus esset. Novellus Ghibellinique indignati, unam urbem exulum, ac desperatorum auxilio subnixam, tantos spiritus capere; ut contra Tusciae totius opes, nedum arma suscipere, sed sub ipsa Florentiae moenia, insultanti similem, ostentare se se victoribus auderet; collecto ex cunctis ghibellini foederis civitatibus, Pisis praecipue Senisque exercitu, Signam aggredi, Lucensesque inde expellere statuit. nostri, non satis provisis ad obsistendum rebus, adventu hostium minime expectato, oppidum deseruere. Novellus, ubi nulla circa Signam, fuga Guelphorum desertam, mora, in Lucensem agrum transgressus, bellum ultro intulit. adversus quem Lucenses una cum exulum manu temere obviam progressi, cum viribus longe impares essent, collatis ad Aesarem signis, infelici exitu pugnavere. Ghibellini acie victores, Castellione quorumdam oppidanorum fraude potiti, locum Pisanorum praesidio firmavere. Sed Philippo Asinello bononiensi, qui praeturam Lucae gerebat, eo cum copiis profecto, proditorum poenitentia Pisanorum praesidio expulso, eodem die receptum. in proditores, qui intra paucas horas, veteres novosque dominos fefellissent, quamquam data fide a praetore contra fas animadversum. cui noxae sequutam deinde cladem plerique acce-

ptam retulere. Nam dum Lucenses ob victoriam incuriosi palantur, hostes illos ex improviso adorti, non sine damno in oppidum compulere. mox a Pisanis, quibus ademptum fuerat, oppidum summa vi oppugnari coeptum. Sed cum caetera frustra fieri cernerent, cuniculo sub terram acto, muros subruere statuunt. Lucenses contra et ipsi actis in adversam partem cuniculis, sarmenta quibus eos oppleverant, pice resinaque oblita ad alendum ignem incendunt: ut vapore fumoque hostes opere prohiberentur. Sed cuniculi aditu negligentius introrsum obstructo, flamma in oppidum tanta vi erupit, ut correptis proximis quibusque non ante sisti ea labes potuerit, quam maxima oppidi pars cum arce deflagraret. Pisani oppido per deditionem potiti, ea lege ut Lucensibus sine fraude liceret abire; mox in proximum Cotonem versis armis, illud etiam obtinuere. Eadem felicitate pons ad Aesarem, Rotarium Sarezanumque ab hostibus capta. Nuptianum frustra tentavere, modico sed abrupto jugo rupique impositum: abscisso undique ascensu, nec nisi unico aditu, equoque angusto, pervium. quare pluribus suorum amissis, Pisani discedere coacti. Fuerat Ghibellinis animus, Lucam quoque belli caput sedemque aggredi; sed irrito unius oppidi incepto, quan-

tum operis laborisque in tam valida munitaque urbe subeundum foret edocti, id consilium omisere. His cladibus, majorumque in dies metu fracti Lucenses nutabant. quare eorum animis in fide retinendis Urbanus pontifex literas dedit (1), quibus ad constantiam hortabatur: commemoratis quae ipsi majoresque eorum, pro retinenda libertate, strenue fortiterque egissent. Verum major pestis erat, quam quae sanari verbis posset. itaque intellecto iras in se omnis Etruriae versas, quod florentinos exules sinu excepissent foverentque, cum hinc socialis fides, supplicesque deserendi pudor; inde, si contra obstinate tenderent, ingruentis belli moles urgeret, ruinae caput subducere expulsis exulibus inviti decrevere. Itaque clam colloquia cum ghibellinarum partium duce per nuncios misceri coepta: tam fida arcani conscientia, ut cum ea res usque in sequentem annum pertracta sit, nulla illius vel levis suspicio ad hospites permanarit. Foedus tandem in has leges sancitum: ut Lucenses, salvis legibus patriis, regis Manfredi praefectum, Florentinorum exemplo in urbem acciperent: ghibellinaeque partis sacramento adigerentur. neque propterea id civibus guelphae factionis fraudi esset: sed nulla juris bonorumque ja-

(1) Raynald. Ann. 1263. num 77.

ctura, liceret iis in civitate consistere. Florentinos exules universosque tuscarum civitatum Guelphos, qui Lucam confugissent, triduo ad comparandum iter dato, pelli placebat. oppida Lucensium, bello capta reddebantur: praeter ea quae circa Arnum Nevulamque occupata essent; quorum partem Florentini, partem Pisani obtinebant. Mutro maritimum oppidum Florentinis adjudicatum, sed postea Pisanis traditum. denique ad Arbiam captos Lucensibus restitui placuit: dure ac crudeliter ad eam diem a Senensibus habitos: quamquam de illorum libertate ipse Urbanus pontifex Senenses per literas appellasset (1). Tabulae foederis per Gilium scribam confectae; ac tum demum magistratuum jussu, triste abeundi imperium exulibus indictum. quod, ubi ad eorum aures pervenit, tantus moeror repente animos occupavit, ut tum primum se victos profligatosque, ac patria penatibusque extorres existimarent. cursare per domos, amplecti civium genua, fidem partium, hospitalesque deos implorare: aliaque movendis ad misericordiam mentibus potentia adhibere: nisi plus propria salus ac ineluctabilis necessitas valuisset. stato die, mi-

(1) Raynald Ann. 1263 num. 73.

serabile agmen urbe excessit: prosequente civium multitudine, eodem vultu, iisdem lacrymis; ut sentire posses coactos fecisse: nec facile noscéres utrum miseriores essent qui resisterent, an qui exirent. nobiles feminae vulgari cultu, qualem ea fortuna reliquerat, parvos liberos aut pectori applicitos, aut manu trahentes, pedibus incedebant; demisso in terram vultu, atque inter pudorem doloremque confuso. Viri indignantibus, quam dolentibus propiores. plebeii juxta ac nobiles, alii sarcinis onusti, alii manu conjuges allevantes, per Apenninum alpesque peregrinas, Bononiam concessere. Constat in Apennini transitu delicatum matronarum agmen, viae labore admodum vexatum: quasdamque aut in silvis, aut in tuguriis montanorum enixas, itineris taedio partus laborem adjecisse, cunctis civilem discordiam, fatalemque inanium vocabulorum rabiem incusantibus. quo facto, si cui lucensem populum criminandi libido fuerit, is ante momenta temporum rationesque expendat: quibus accomodare consilia sapientiae sit: quoties nec quos susceperis tueri possis, et ipse in magnum discrimen venias, deque summa rerum periclitere. Nam ut salutem alterius utilitati tuae recte praeferas; ita summae dementiae sit, cum te unum servare possis, malle ambos perire. Per

hunc modum Luca in ghibellinas partes traducta. in quo illud etiam a majoribus sapienter actum, ut eam inirent viam, qua cunctis civibus caveretur: itaque in ghibellinas partes transirent, ut Guelphis in patria locus honosque esset. Rebus ita compositis, Gozellus Gonzaga cum C. Germanorum cohorte in urbem venit, ut regis nomine in ejus praesidio esset (1). pauloque post, cum ipse Guido Florentinorum praefectus advenisset, Mutronem tribus aureorum millibus lucensi populo vendidit, cum Pisani imperatam pecuniae summam regi pendere recusassent. Verum non multo inde pari levitate, Lucensibus ademptum Pisanis attribuit; cum illi ob eam causam homini irati, urbe sua eum prohibuissent. Nec aliud oppidum loci opportunitate, saepius dominos mutavit: ut quaeque gens valuisset, nunc Lucensium, nunc Pisanorum, Genuensium modo, ac Florentinorum armis vindicatum. Per idem tempus, centesimo nonagesimo anno post quam creari coeperant a consulibus ad decemviros translata respublica. Quippe cum ad hanc aetatem, e quaque regione singuli eum magistratum cepissent, binos in posterum creari visum:

(1) Ann. 1264.

qui non ut antea consules, sed ab aetate ac antiquitate, patrio vocabulo antiani appellarentur. Occasionem novandi regimen civitatis eam fuisse crediderim, quod Guelphis Ghibellinisque in unum reipublicae corpus receptis, non alia concordiae ratio visa, quam si aequis portionibus utrique honores caperent. Mansitque ea reipublicae forma usque ad annum MCCCLXX. quo in tres regiones divisa urbe, terni e singulis legi coepti: vexillifero adjecto, tuscarum urbium more; qui veluti collegii princeps caputque reipublicae, alternis e quaque regione crearetur.

Ardente discordiis civilibus Italia, totoque terrarum orbe variis calamitatibus laborante, cum praecipue scelestorum principum culpa religio labaret, romanique sacerdotii majestas pene obsolevisset, revocandis ad pietatem sacrorumque venerationem animis, Christus ipse religionis auctor, e coelo adesse, nunquam manifestioribus indiciis visus est. quippe hoc tempore et in Lusitania ad Darocam oppidum, et Parisiis in Gallia; sed Vulsiniis praecipue ad tyrensem lacum, insigni prodigio se se spectandum exhibuit. Res in hunc modum gesta narratur. In eo vico, qui Vulsiniorum, magnae quondam florentisque urbis aegre nomen servat, cum inter sacra consecrati vini gutta, in

altaris linteum, sacerdotis inouria defluxisset; ea statim rubenti colore apparuit, tamquam si recens e vivi hominis venis manasset. Eo miraculo attonitus mystes, dum culpae occultandae, aliis atque aliis plicis linteum obvolvit; non ideo cruentus humor sisti potuit, quin ad omnes perstillaret. Erat eo tempore Urbanus pontifex in vicinia apud Herbanum, tum munitione, tum salubritate loci captus; qui rem fama auditam cum subijciendam quoque oculis censuisset, magno animi motu, delatum a se linteum pluribus latisque maculis cruentum spectavit. digna res visa, quae non unius aetatis, aut urbis miraculo ac religione finiretur. Quare sanxit, ut quotannis in posterum sacra Hostia toto christiano orbe certa die, solemni pompa per civitates deferretur: primusque hoc anno novae religioni initium dedit, quo die summi sacerdotis manibus, coeleste mysterium primo delatum, nova quaedam lux orbi affulgere visa. cunctorum animi laetitia elati paresque animis vultus. Obortae omnibus gaudio lacrymae, novaque illa triumphi specie, insolita quaedam voluptas pectoribus infusa. non sexus, non aetas, non valetudo quemquam continuit, quin se se in publicum ad id spectaculum effunderet; certare omnes studiis, non operae, non impensae par-

cere, quo apparatior conspectiorque pompa esset. iter qua incedendum erat, floribus coronisque constratum. parietes vestibus pretiosis ornati, altaria cum thure ac odoribus ad latera erecta. vocum fidiumque concentu omnia personare: sacerdotibus solemni cultu velatis, sacrum carmen canentibus; quod Thomas Aquinas, sanctimoniae et literarum gloria ea aetate insignis condiderat. eaque supplicatio, ad hanc memoriam, toto christiano orbe celeberrima habetur. Hoc mortalium operum Urbano pene novissimum fuit. quippe brevi tempore extinctus, egregia nominis fama posteris relicta. erga Lucenses eximie affectus; quos ob guelpharum partium in communi defectione fidem enixe fovit: extantque literae, quibus eos Senensibus, post cladem ad Arbiam, aut libertate donandos, aut mitiore custodia habendos commendavit: Pisanosque ne immeritos bello vexarent admonuit. Urbano Clemens IV. post quinque mensium interregnum suffectus est: et ipse gente Gallus e narbonensi provincia (1): quo pontifice ghibellina factio Manfredi morte, Carolique Andegavensis victoria pene sublata. Exciverat jam ante Carolum Galliae provinciae

(1) Ann. 1265.

regulum, regisque Ludovici fratrem Urbanus, bello armisque strenuum; sed ut postea cognitum est, saevum ac sanguinarium; ut eum Manfredo, ac Ghibellinis opponeret: regno etiam Neapolis Siciliaeque ostentato, si perfidum hominem oppressisset. Sed non ante hunc annum in Italiam descendit, mira felicitate: quamquam Manfredus transitum Alpium copiis, Pallavicino duce, mare Pisanorum classibus clausisset: ostiis etiam Tiberis vallo, saxorumque ingentium cumulo obductis. Prima ad Germani fanum victoria, Carolus apertis sibi Campaniae claustris, mox praelio cum Manfredo ad Beneventum commisso, illum magna caede suorum profligavit (1). quo praelio Manfredus ipse inter promptissimos dimicans occubuit. corpus sine cantu ac facibus, aut alio funeris honore, tamquam tyranni, sacrisque jam pridem amoti, tumultuario cespite obrutum. Ut arbiensi clade Guelphorum rebus, ita beneventana victoria Ghibellinorum opibus accisis, universa Etruria, Pisanis Senensibusque exceptis, ad Guelphos transivit. Jam ante ad Caroli adventum Guelphorum animi se se erexerant: quare Lucenses in reipublicae patronum novo

(1) Ann. 1256.

rege adoptato, statim eductis copiis, oppida ad Arnum Aesaremque recuperavere. ad nuncium vero beneventani praelii, Lanfranchino Malugello praetore, pulsis urbe Ghibellinis Florentinorum exemplo, tres legati in Apuliam ad regem missi, qui ei victoriam gratularentur, eumque in Etruriam Lucamque invitarent. Rex legatis benigne exceptis, se de Lucensium libertate ad Guidonem Guerram, quem Tusciae imposuerat, scripturum pollicitus: donec compositis rebus, praesens Etruriam inviseret, spe ac promissis oneratos dimisit. Legatis Lucam reversis, regisque responso in concione exposito, populus una voce regem Carolum praetorem urbis creavere; quem magistratum Guerra regis nomine recepit; ac XVI. Kal. januarii, in verba libertatemque lucensis populi, ut praetorum mos est, coram decemviris juravit (1). Tanti nominis favore, Lucenses in spe recuperandi priore bello amissa venerant: quare regii praefecti propraetorisque auxilio, reliqua oppida ad Arnum Nevulamque adorti, ea iterum in ditionem suam redegere. quae rerum gestarum felicitas adventu Caroli regis in Etruriam cumulata (2); qui ad Vultum-

(1) Tabular. Lucens. n. 15.

(2) Ann. 1257.

nae fanum Clemente adorato, primum Florentiam, inde Lucam se contulit: parte exercitus ad Pisanum agrum vastandum ante praemissa. Portum quoque pisanum regii duces aggressi, turribus molibusque eversis deformavere. Rex summa populi laetitia intra urbem exceptus, ut amicae genti benevolum animum approbaret; copiis e pisano agro in Versiliam transire jussis, oppida, quae Ghibellinorum dux Novellus Lucensibus abstulerat, Aginulphum, fanum Feroniae, Castellionem, Strictaram armis subegit. inde rex ipse ad obsidendum Mutronem progressus, cum diuturni magnique operis, situ loci ac munitione, rem futuram cerneret; quod viribus nequibat, astu obtinuit. magnam hominum multitudinem, tamquam cuniculis subruere moenia vellet, ingentem specum effodere jussit; noctuque comportata clam sub terram rudera parietinasque, interdiu egerere. Eo spectaculo oppidani territi, cum egestorum lapidum cumulos perfossi muri ruinas crederent, regi se permisere: atque ita Mutro Pisanis ademptus in lucensis populi potestatem iterum rediit. Dum haec in Etruria a Carolo aguntur, Siciliae res eo absente turbaverant (1). Conradinus quoque

(1) Ann. 1236.

a Pisanis Senensibusque sollicitabatur, ut in Italiam ad patrium avitumque regnum, ab exteris occupatum, vindicandum properaret. quare rex ancipiti malo distractus, relicta in Tuscis parte equitatus, ut se Conradino venienti opponeret, ipse ad componendas Siciliae turbas reversus est. Interea Conradinus per Alpes tridentinas Veronam, inde Ticinum, mox Genuam cum exercitu pervenerat. unde junio mense cum Genuensium classe Pisas appulsus est. ejus adventu, ingens ex tam propinquo magnoque hoste metus, Guelphorum animos incesserat; Florentinorum praecipue ac Lucensium, qui per Etruriam, earum partium capita ducesque semper extiterant. Versabantur ante oculos Friderici avi scelera crudelitasque, in adversae factionis captivos, quorum alios, aut mari demersos, aut oculis orbatos, perpetuoque carceri addictos, squalore ac vinculis necasset. erantque in ore omnium, quos fame, aut frigore mori adegisset: quosque, inaudito lethi genere, plumbea tunica indutos, pondere oppressisset quorum pleraque ipso vivente per metum suppressa, post ejus mortem, seu vero seu falso vulgata, perinde afficiebantur: pariaque nepotem ausurum, domestico exemplo, credebatur. «Quem » enim ex ea familia, seu lege, seu furto genitum, » non se se immanibus piaculis obstrinxisse?

» ut vetera exolevissent haerere omnium menti-
» bus, quae nuper Friderici avus paterque, quae
» eo geniti Conradus Manfredusque, totidem
» christiani orbis faces, egissent. nunquam sve-
» vo sanguine, nisi publicam mortalium pestem,
» generisque humani malo genitam: ut proinde
» viperarum progeniem, eam familiam pontifi-
» ces appellaverint: ex qua venenatum germen,
» Conradinus, tamquam regulus prodiisset. »
Haec pejoraque his plerisque ominantibus, prima belli tempestas in Lucenses deseviit. Nam Conradinus, ut Pisanis gratificaretur, in lucensem agrum, longe alio quam promiserat animo, cum exercitu transgressus, Massae Vurnique valles igni ferroque depopulatus est. Lucenses cum militibus urbanis copiisque, quas regius praefectus Florentia in auxilium adduxerat, obviam progressi; ad Pontem tectum (id loco nomen) in Auseris ripa, adventantem opperiri statuunt. Conradinus quoque haud ultra Auserem processit: cum et pons arce praesidioque tutus esset, et profundus limosusque alveus, vado transiri non posset (1). cum aliquot horas uterque exercitus in fluminis ripa, ex adverso constitisset; neutri consilium, aut ani-

(1) Ptolem. Luc.

mus ad transgrediendum fuit: nam et Lucenses regiique, haud admodum si acie certaretur, instructi, sua tueri satis habebant: et Conradinus Carolo integras vires servabat. Itaque Germani repente Pisas, Lucenses in urbem signa vertere. Ptolemaeus, acie quidem minime certatum, sed parvas velitationes factas: alii, Lucenses usque Julianum montem, in tergis recedentium haesisse memorant. Conradinus haud ultra decem dies in Lucensi moratus, nequaquam late arma circumtulit, locorum insidias veritus. Sed duobus tantum, ut dictum est, pagis direptis incensisque, Pisas, inde Senas Romamque, ac postremo in Apuliam, ad hostem regnique aemulum contendit. praelioque infaustis ominibus cum Carolo inito, ad X. Kal. septembris, cum toto exercitu ingenti clade victus; ac mox cum Friderico Austriae regulo captus, in potestatem victoris pervenit. ab eo, quamquam saevo exemplo, tamen non sine coelestis ultionis praesenti numine, securi percussus, miserandum spectaculum praebuit, ac ipsis quoque qui fecere, luctuosum. quippe juvenis ad summam spem genitus, in flore aetatis, sextum decimum annum non egressus; pravis consiliis in praeceps raptus, alienae stultitiae poenas dabat. addita est supplicio acerbitas, lectis per praeconem, eo audiente, quae ma-

jores ipsius, scelerate in homines, impie in Deum commisissent. Sed vera causa, regni cupiditas silebatur, quippe religio ac pietas obtentui; cum et Conradinus jure mori, et Carolus crudeliter facere posset eam necessitatem animo non regio, magis quam pio tulisse fertur: ut etiam illius interfuerit sic perire. Per hunc modum tot caesarum regumque sanguis extinctus est: non minus deinde victori timendus, quam si vixisset. quippe tantum odiorum ea caede Carolo collectum; ut ex eo tempore, iniqua fama, iniquiore fortuna, quae deiude Gallorum genti saeva et atrocia evenere, visus sit meruisse. Eo praelio Bonifacius Obicius lucensis, qui pontificis nomine tusco equitatui praeerat, strenue pugnans occubuit. funus illi Neapoli insigni pompa paratum. statua etiam equestri in ejus honorem a rege Carolo posita, si famae credimus. In ejus locum pontifex Ludovicum ipsius fratrem constituit; romanae urbi cum turmis equitum quibus praeerat, praesidere jussum. Nec diu post Clemens inter mortales esse desiit. vir prisca sanctimonia; et cui saeva Caroli victoria non parum fata festinaverit. ejus mortem diuturnum fere trium annorum interregnum consequutum, ob patrum discordias, christianum orbem magna expectatione suspensum detinuit. Interim ger-

manici exercitus reliquiae, quae cladi superfuerant, Pisas se contulere (1). inde cum Pisanis Ghibellinisque exulibus, in lucensem agrum excurrentes, loca ad Aesarem depopulando praedasque agendo, usque ad D. Petri vicum pontemque processere, eoque flammis deleto, cum CC. captivis Pisas reversi. Massa quoque Lucensis, proditione in potestatem Germanorum venit. quibus injuriis damnisque Lucenses moti, Nicolao Baccellerio praetore, in provinciam lunensem progressi, Massam, pulsis inde Germanis, recepere. Arx jugo montis imposita, ne ultra rebellantibus receptus esset, funditus eversa, incolaeque in plana deducti. inde cum Gallorum auxiliis, quae Joannes Bertaldus, regius in Tuscia praefectus adduxerat Florentinisque, pisanos fines ingressi, Castellione recepto Ascianum occupavere: cunctis late igne ferroque usque ad Pisarum moenia vastatis. Pisanis egredi portis minime ausis (2); ob cladem Ghibellinorum vacua civitate, et ad obsistendum impare. In cujus victoriae memoriam, pecunia a Lucensibus in ipsis Pisarum portis signata. Hoc anno magna aquarum diluvia,

---

(1) Ann. 1269.

(2) Ptolem. Villan. t. 7, c. 63.

continenti duarum noctium uniusque diei imbre extitere; quibus aucta per universam Italiam flumina, pontium villarumque strage magnam cladem intulere. Aesar mutato alveo usque ad urbis muros progressus, pontem D. Leonardi, novasque munitiones ad Salvatoris in muro aedem secum traxit. nec nisi magna impensa ripis coercitus; intra quarum fines hactenus in mare decurrit. Per idem tempus Henricus civitatis antistes fato defunctus: cui Paganellus, a collegio basilicae martinianae suffectus. Dum haec aguntur, Carolus rex iterum in Etruriam se contulit. cumque, et iis sponte iratus, quod Conradini partes pervicacius fovissent, et Florentinorum Lucensiumque instinctu, Pisanos merita poena affecturus videretur, in gratiam receptos, pactis quinque annorum induciis, Lucensibus conciliavit: cum per legatos veniam petissent, classemque, qua tunc mari plurimum poterant, obtulissent. causa ejus itineris Carolo, studium comparandi ex quibuscumque gentibus posset exercitus, quo Ludovico fratri in Africam ad bellum in barbaros profecto, opem ferret. inter eos, qui sacrae militiae nomen dedere, plures Lucensium numerati: qui cum pisana classe in Siciliam advecti, ut inde in sancti regis auxilium in Africam trajicerent. Sed dum omnia lentius com-

parantur, rex in Tuneti obsidione pestifero morbo ictus, magna christianae rei jactura vivere desiit: tanta innocentiae ac sanctimoniae fama, ut coelestibus honoribus, mox inter Divos relatus coli meruerit. Eo qui insequutus est anno (1), tandiu viduam Clementis morte Ecclesiam, inopinata Gregorii X. renunciatio ingenti laetitia affecit. Is Vicecomitum stirpe Placentiae natus, gravitate morum, rerumque agendarum prudentia clarus, principem inter diaconos locum Leodii, Galliae Belgicae in finibus Eburonum ad Mosam urbe, obtinebat. in eum quamquam extra collegium purpuratorum, ob egregiam, quae de illo erat famam, fessi diuturno dissidio patres, cum oculos conjecissent, Kal. septembris illum in pontificem maximum elegere. Navigaverat is procul ab ea cura in Syriam religionis causa; acceptoque in ipsa Solymorum urbe ejus fortunae nuncio, nihil antiquius habuit, quam ut ei civitati finem servitutis faceret, in qua ipse regnare coepisset. quo consilio Lugdunum Galliarum, conventum sacerdotum indixit: cui Thomas Aquinas, et Bonaventura Fidantius, clarissima ejus aetatis sacrarum literarum lumi-

(1) Ann. 1271.

na, ne conjuncti splendorem augerent, alterius in itinere extincti casus obstitit. inter caeteros ei consilio interfuit Petrus Angelellius lucensis, ordinem Praedicatorum professus, ac sacri palatii magister, qui tunc lucensi sacerdotio praeerat, in eoque supremum diem obiit. duxerat secum Gregorius itineri comitem, dum e Syria in Italiam navigaret, Joannem Subgruminei lucensis agri vico ortum, et ipsum ejusdem ordinis asseclam: quem ob fidem religionemque, licet sacris minime initiatum, erogandis in pauperes pecuniis praefecit: cum primus pontificum publice eam largitionem instituisset. Dum a Pisanorum bello, per inducias, quarum nondum tempus exierat, urbs conquiesceret, arma in Catinenses mota. Ili Etruria in guelphas partes traducta, soli fere, munitione loci confisi, pro Ghibellinis steterant: foedusque, in quod caetera Tuscorum oppida urbesque coierant, insigni contumacia recusaverant. quare Arrighetto Confalonerio praetore, Lucenses eo cum copiis profecti, agrum prius caedibus arborum, praedisque depopulati, mox oppidum ipsum vi obtinuere. Arx, unde in vicinos excursus rapinaeque, latrociniis sedes eversa soloque aequata. Utque omnis rebellandi occasio adimeretur, oppidum muris nudatum. incolis veniam suppliciter deprecantibus, data. ada-

ctisque in verba lucensis populi, sex obsides e primoribus imperati, qui praetoris arbitrio, bino quoque mense permutarentur. Pacandis quoque feroniensis provinciae populis laboratum (1). Exarserant inter Castellionenses, Bargaeos Corelliensesque graves simultates, agrorum causa, quos alii privati juris, alii communes contendebant. Sumptisque armis, municipali, ut inter finitimos, aemulatione, vetera odia caedibus damnisque explebant. tentata frustra concordia per Guidonem a Porticu provinciae praefectum, ac Joannem Ricciardum armorum ducem; tandem a Petro Faventino praetore, illuc cum copiis profecto diremptis litibus, ab armis discessum. Nec is annus discordia solum, sed sacrilegio quoque infamis extitit. quidam martinianae basilicae sacerdotes avaritia coeci, coronam sancti Vultus capiti impositam furto abstulere. quod ubi per urbem vulgatum, violatae religionis horror cunctorum animos pervasit: passimque conceptae in sacrilegos irae, qui populi lucensis famam atroci facto apud caeteras gentes laesissent. conquisiti ac reperti, exitum sceleri parem habuere. decus sacro capiti restitutum. Sed malos cives, quos in ea

(1) Ann. 1272.

temporum labe respublica patiebatur, una Sita pensare poterat; quae hoc anno demum, coelo, ut egregiis virtutibus meruerat, transcripta, vivere desiit. Haec apud Montem Sacratum, qui pagus est ad VIII. ab urbe Luca lapidem, in montanis situs, humili loco nata; ubi per aetatem licuit, in nobilem Fatinellorum domum, inter ancillarum ministeria recepta, morum innocentia, religione, in pauperes benignitate ea evasit, ut ab iis, quibus ante servierat, adorari meruerit. parco ac tenui victu corpus torsit potius, quam aluit: idem aspera rudique veste, magis contra delicias, quam contra frigus munire solita; interdiu laboribus, noctu coelestium contemplationi intenta, vitam coelo terrisque dividebat. ne quidem coelo abesse assueta etiam cum in terris versaretur. Deo saepe vacanti, ne id heris fraudi esset, coelestes genii vicariam operam praestitere. felices, quibus inter familiae decora, supra fasces ac purpuras invidiosum, contigit, divorum manus famulas habuisse. horrea piis largitionibus exhausta, novis frugibus prece complere; labenti imbre minime perfundi: aquas in vinum vertere; panis frusta, in flores rosasque mutare, solemne illi fuit. quibus, aliisque, non alia apud omnes famae esse, quam qui superis jam recepti divinis ho-

noribus coluntur. ad extinctae funus, non ex urbe modo agroque lucensi, sed etiam ex finitimis regionibus certatim concursum; ut per plures dies sepulcro inferri nequiverit. in ejus cadaver pie injuriosi, alii vestes scindere, alii capillos vellere, ac se religiosis rapinis consecrare. Corpus virginali habitu, nulla aetatis mortisque injuria victum, ultra CCCC. annos incorruptum durat; placide quiescenti quam mortuo similius. spectaturque in basilica Longobardorum accepta in antecessum aeternitate, assiduo adeuntium miraculo.

Is, qui successit annus (1), Rodulpho Augustae Vindelicorum regulo, Romanorum imperatore renunciato, diuturnum christiani orbis dissidium composuit. Jam inde a Friderici II. morte romanum imperium aliquandiu legitimo principe vacuum fuerat. moxque scissis septem virorum studiis, pluribus annis laceratum: hinc Alphonso Cartulonensium rege, hinc Richardo Britanniae regis fratre se pro imperatore gerentibus: donec mortuo tandem Richardo, suffragia in Rodulphum coiere. itaque Gregorii pontificis auctoritate imperator habitus cultusque est. Hic est ille Rodulphus, qui primus in austriacam domum imperatoriam dignitatem

(1) Ann. 1273.

intulit; quae nunc ejus familiae velut propria ac perpetua, publico generis humani bono, habetur. Ad eum salutandum missi a senatu Rustichellus Boccansochius, Suffreducciu Diversius, et Lotherius Carus: a quo benigne excepti auditique, rata priorum caesarum beneficia ac immunitates laeti domum retulere. eodem in Carolum regem obsequio, qui exulum genuensium instinctu, bellum ei civitati intulerat, tamquam reipublicae patrono, guelpharumque partium per Etruriam duci, milites submissi. non absimili partium discordia Pisani ardebant(1). Jam inde a barbaris ea insula expulsis, Sardiniam in quatuor praefecturas diviserant; easque principum civitatum nominibus, Calaritanam, Gallurensem, Arborensem ac Turritanam appellabant: praefectisque judicum nomen indiderant. Erat per id tempus in civitate Joannes vicecomes gallurensi praefectura superbus: ejusque opibus crescere Guelphorum animi putabantur. Id Ghibellini, quorum potentia tum Pisis praevalida, indignum rati seditione populi mota, hominem urbe expulere. Is Lucam, fidissimam guelpharum partium sedem profectus, placido mollique exilio minime contentus, non Lucenses modo, sed universas

(1) Ann 1271.

Tusciae urbes, quae jam Caroli regis auspiciis, Guelphorum arbitrio regebantur, in Pisanos concivit. Itaque cum copiis foederatarum gentium pisanum agrum trans Arnum ingressus, cum depopulando late terrorem intulisset, Toporium non satis valido praesidio tutum occupavit. inde hyemante coelo in Miniatenses digressus, in mediis conatibus extinctus, patriam ingenti cura exolvit. Quo tempore apud Lucenses substitit, turris ingens in vertice Juliani montis extructa, quae tamquam specula Pisas Lucamque respiceret. ferunt quoque, quod is ad Mariae fanum, sub Juliani montis radices, loci opportunitate ad noscenda Pisanorum consilia, plurimum manere consuesset, pagum templumque de ejus nomine appellatum. Et Pisani quidem expedierant se satis feliciter, opportuna Joannis morte; nisi se iterum sponte in novas turbas conjecissent. Joanne expulso, ac inter belli ardorem extincto, odio guelpharum partium Ugolinum quoque e Gherardeschae regulis (regio haec in maritimis pisani agri sita, inter amnes Caecinam Corniamque) opibus divitiisque ea aetate clarum, clarioremque mox calamitate futurum, urbe cum reliquis ejus factionis ducibus expulere. Qui gallurensis praefecti exemplo, ad vicinos Lucenses se conferens, ab iis in societatem exceptus est. prae-

ter eos, qui in civitate cum Ugolino sentiebant, multi etiam ex agro viri auctoritatem sequebantur. Quare tanto magis Lucenses eum complexi, quod ejus opera in perpetuos reipublicae hostes, domestica discordia infirmos, usuros sperabant. accessere Florentini, quibus per ea tempora una cum Lucensibus mens ac consilium erat, guelpharum partium societate. Quare utriusque populi viribus, tum pisanorum exulum manu validus Ugolinus, patrios fines depopulando ingressus, igne ferroque vastavit. multisque oppidis in suam potestatem redactis in Vicum pisanum praecipue, eo diruto ac incenso, desaeviit. Quibus motus Gregorius pontifex, quo sequestre, cum Florentia Lugdunum iter faceret, Guelphi Ghibellinique conciliati, ac mutuis cladibus abstinere jussi; graviter increpitis belli auctoribus, sacra in eorum urbibus fieri vetuit. Pisani bello fracti, quo uno saevire in eum licuit, incensis Ugolini aedibus, bona illius in fiscum redegere. quare Lucenses iterum infesto exercitu pisanum agrum adorti, cum ad Ascianum obvios hostes habuissent, commisso praelio victores discessere. plures Pisanorum caesi captique, aut submersi paludibus, dum praecipiti fuga ex acie se proripiunt: inter quos clari duces Andreas et Michael Passi germani fratres: posterior

etiam equestri ordine insignis. oppidum captum, novisque munitionibus ac praesidiis firmatum. Pisani bello et acie impares, ad fraudes conversi, oppidum Mariae ad montem, quorumdam oppidanorum proditione jam spe hauserant. profectique Pisis, quam occultissime, jam haud longe oppido adequitabant. cum praetor urbanus, cui dies et ordo conjurationis innotuerat, assumptis secum CCCC. equitibus, ex insperato affuit. quo adspectu Pisani territi, ac in fugam versi: proditores capti, ac supplicio affecti. Inter haec (1) Gregorio pontifice egregia fama, rebusque gestis insigni decedente, Innocentius V. Tarantasiae in Alpinis ortus, sacerdotium accepit. Primae novi pontificis curae Tusciae pacandae jam diu bellis civilibus laceratae incubuere. Pisani Ugolino Guelphisque urbe exactis, universas Tuscorum vires in semet converterant; Lucenses praesertim ac Florentini, quibus praecipue in Pisanos irarum causae, magno peditum, MD. equitum numero, una cum regio per Etruriam praefecto, in eorum agrum iterum transgressi, late vastitatem intulerant. Pisani nequaquam tantae moli pares, ad hostium impetum retardandum, ingentis operis fossam ad octavum ab

(1) Ann. 1276.

urbe lapidem duxerant: quam quia se se in Arnum exoneraret, Arnonicam appellaverant. ea pontibus valloque, ac terreno aggere munita, Pisani in altera ejus ripa, transitum nostrorum prohibituri consedere. Lucenses Florentinique perrumpere aditum aggressi, dum a Pisanis magna vi repelluntur, atrox praelium inchoaverant. Sed dum in angustiis pontium acies confligunt, Pisanis pugnandi ardore ab alia cogitatione aversis, non pauci nostrorum equitum peditumque, longe a conspectu hostium, qua fossa Arno jungebatur, in alteram ripam transgressi, subitum terrorem Pisanis intulere. qui fuga statim arrepta, cum omnes aditus custodia nudassent, facilem caeteris copiis transitum praebuere. omnis ergo foederatorum acies a tergo fugientes usque sub ipsas urbis portas insequuta, alios caedendo, alios capiendo insignem cladem Pisanis intulit. qua fractis eorum animis, deterioris fortunae metu iniquam pacem respexere. Ea pontificis maximi regisque legatis, in castra victorum deprecatum profectis, in has leges data. Ut Ugolinus caeterique exules, ac nominatim vicecomites et Upensingi restituerentur: bona redderentur. Lucensibus Castellio, Coto, aliaque oppida in paludibus ad mare occupata remitterentur. Lucenses Florentinique in urbe portuque pisano,

portoriis, ac vectigalibus immunes essent. jussique in posterum Pisani, caeteris abolitis, ponderibus mensurisque Lucensium ac Florentinorum uti. in haec viginti e pisana nobilitate, qui inter captivos Lucensium erant, obsides imperati, qui in arce miniatensi custodirentur: caeteri captivi libertate donati. his conditionibus ad arbitrium victorum Pisani pacem impetravere: nil deprecari ausi praeter obsidum custodiam, qui ut Radicophani potius servarentur, indulgere placuit. In his praeclaris conatibus Innocentio intra breve tempus extincto, Hadrianus V. genuensis, gente flisca, Innocentii IV. gentilis suffectus est, cui post brevem XXXIX. dierum principatum Joannes XXI. natione hispanus successit. et ipse non ultra VIII. mensium spatium tanto fastigio fruiturus. magno mortalium rerum caducitatis exemplo, quatuor summis sacerdotibus, quod nunquam alias, intra quindecim menses intempestive sublatis. Per id tempus Lucae ab armis cessatum: sed ne qua Pisanis inquietandi Lucenses occasio elaberetur, a pisano praefecto equestris ordinis, qui tunc Rhodius, post Melitensis dictus, libellus pontifici porrectus, quo Lucenses ab equitibus praefecturae ipsius, portoria, ac vectigalia, tamquam ab

obnoxiis exigere querebatur. negocium (1) antistiti civitatis (Paganellus II. is erat gente porcariensi, qui Petro Angelellio post duorum annorum interregnum successerat) datum, cum atrocibus mandatis, quibus si parere recusassent, reipublicae magistratus arcere sacris dirisque devovere jubebatur. Sed supervacuae adversus obsequentes minae fuere: promptusque in summi sacerdotii venerationem animus, admoneri satis habuit. quare suum decus religioni redditum; equitesque immunes esse jussi. nec ea moderatio alio tempore opportunior, ac magis e republica, adversus hominem *praecipitis ingenii, ac hispanico spiritu tumidum, quique novari res cuperet*. qualem fuisse Joannem, Ptolemaeus (2), parcus alioquin carpendi sacras potestates, in annales retulit: iisque moribus, funestum exitum, quo is ruina conclavis oppressus periit, tribuere non dubitat. Vacuum Joannis morte pontificatum, Nicolaus III. excepit: clara Ursinorum stirpe: si nimium in gentiles suos studium demas, caetera egregius. Hic quamquam ea familia genitus, quae Guelphorum partes praecipue fovisset; tamen Ca-

---

(1) Ann. 1277.

(2) Ptolem. Lucen.

rolo regi privatim infensus ob immodicum in populares suos, contra italici nominis patres studium, in comitiis pontificalibus ostentatum; illius potentiae praemendae plura molitus est. Nam et Tusciae praefecturam illi ademit: dignitatemque senatoriam, ab eo jamdiu Romae gestam, dimittere coegit: tamquam pontificum libertati gravem: edita lege, ne in posterum regi, regiove sanguine orto senatorem urbis creari liceret. quae in Carolum irae in immensum auctae, postquam ursino sanguine genitam filio jungere, tamquam imparem sprevit: ursinam domum commodato purpureis calceis uti cavillatus. ea joci acerbitate privatam fortunam illi objectans, in qua pontifice mortuo cogenda iterum esset. cujus amari joci memoriam, tam alte Nicolai animo insedisse, quidam auctores sunt, ut eo conscio siculam cladem moliri Joannem Prochytam caepisse velint: quae eo mortuo post erupit. quod certe crudelis et sanguinarii ingenii fuit, et a Nicolai moribus nimium abhorrentis. Illud tamen constat, eum duos ex ursina gente reges Italiae imponere, animo agitasse: quorum alteri Etruriam, alteri Galliam Cisalpinam destinabat: ne, ut rex exprobraverat, commodatam purpuram sui amplius ferrent, effecissetque, nisi ea molientem, inter magnas cogi-

tationes mors oppressisset. Lucenses de praefecturis ad Arnum Nevulamque amnes a Nicolao appellatos, tamquam prima operis tentamenta, Ptolemaeus auctor est. Verum ne pontificis voluntati obviam eundo, asperiorem in se facerent, officio patres illum vicere: Joanni Angeloque ursinis, alteri praetura urbana, alteri praefectura ad Naevulam flumen ultro delata. donec fatis properantibus, omnia ejus consilia in irritum solverentur. Pacandis quoque Tusciae populis, Nicolaus Latinum e purpuratis gentilem suum legatum misit; insigni probitate ac sapientia. quo conciliante, odia partium in tempus posita. quae a paterno sinceroque animo profecta, illud etiam efficiebant, ut, si conatus exitum habuissent, futurus rex Etruriam tranquilliorem haberet. Et haec quidem Nicolaus, amplitudini majestatique ursini nominis augendae: quae quamquam diversis temporibus gesta sub unum aspectum simul collecta dare visum, ne saepius de ea re dicendum foret.

Per initia Nicolai pontificis gliscente in dies virtutum fama, ac prodigiorum, quae implorata ipsius ope fiebant, placuit Sitam, ante sex annos defunctam coelestium honoribus consecrari: ut veterum tabularum fide constat. quod ut a romano pontifice solemni ritu peractum,

affirmare minime ausim; ita publicam antistitis Paganelli auctoritatem facto adfuisse non ambigam. certe ex eo tempore, cultus ac veneratio sancto corpori publice passim haberi coepta, extructisque per diversa terrarum in ejus honorem templis arisque, ejus memoria anniversario ritu consecrata; universa urbe certatim in obsequium sanctae virginis effusa, unus profano ore Ciapparonus, alias pravus maleficusque, novam Divam irridere, ejusque cultoribus anilem superstitionem objicere. Re ad praetorem delata (erat is Sturio Porta parmensis) Ciapparonum impietatis damnatum culleo insui, ac in profluentem demergi jussit. quietam externis bellis rempublicam, civiles discordiae turbavere. Familiam Obiiciorum, per id tempus (1) opibus virisque florentem, Guelphi tamquam ducem ac principem sequebantur: contra Mordecastelli et ipsi nobiles validique, magistri ghibellinae factionis erant. orto itaque inter eas gentes dissidio, malum in asseclas clientesque, veluti contagione vulgatum. igitur seditione mota, cum utrimque ad arma concursum esset, Joannes Ursinus praetor Angelusque ejus filius, cui praeter prae-

(1) Ann. 1281.

fecturam naevulensem, ducatum quoque populi in gratiam pontificis, Lucenses detulerant, dum tumultum componere, et conciliare animos parant, repulsi: Angelo etiam populari furore, in eo tumultu caeso. principes seditionis ademptis honoribus urbe pulsi, in agrum ad sui juris oppida concessere: liberius odia irasque mutuis cladibus expleturi. Inter haec miserat in Italiam Rodulphus imperator Loddum quemdam, qui Carolo regi praefectura Tusciae per Nicolaum III. adempta, etruscas civitates in romani imperii fidem revocaret. Sed Nicolao jam repentina morte defuncto, subrogatoque gallici sanguinis pontifice Martino IV. Guelphorum partes caput iterum attollere, ac in spem prioris fortunae, regis pontificisque potentia erigi coeptae. quare Florentini Lucensesque a Loddo caesaris nomine appellati, obsequium imperiumque palam detrectavere. gnari Rodulphum domesticis bellis implicitum, pecuniarumque egentem, intra minas ac atrocia verba constituturum. Praefectus ea contumacia accensus, utrique populo, ni pareat, caesaris iras, majestatisque crimen denunciat: simulque collecta germanorum militum manu, quos secum in Italiam adduxerat; Miniate, quam arcem insederat, Lucensibus, ut propinquioribus, bellum parat. Mordecastelli

Ciapparonesque, avide occasione arrepta praecipue ad Naevulam oppida Bujanum Avellanumque, ipsumque regionis caput Pisciam, per defectionem a lucensi populo divellunt: ereptoque Pisciae Loddi vexillo, nomen illius faustis acclamationibus toto oppido celebrant. quod ubi Lucam allatum praetore Guicciardo papiensi, magna repente indignatio coorta, raptimque eductae in rebellantes copiae. Piscia primum obsessa, eodemque, quo oppugnari coepta, impetu expugnata. Et quoniam multitudo magis furore quam consilio regitur; potiti oppido, diripiendam evertendamque perfidiae sedem universi conclamant. Quin Florentini, qui inter auxiliares in exercitu erant, quod ad mitiora consilia inclinare viderentur, tenderentque ut captis parceretur, tamquam molles enervesque, et antiquae virtutis obliti, palam increpiti. quare in clarum oppidum, nulla misericordia saevitum; aedificia publice privatimque solo aequata. eadem ira Bujanum Avellanumque profectis pinnas murorum turresque ad ignominiam attondere. motus ea clade, captique ac dejecti vexilli injuria Loddus, lucensem agrum ad Arni ripam vastare aggressus, ubi neminem occurrere ac stare in armis videt, contemptim velut in pacato agere, derisuique hostem habere. Lucenses, primis se in-

tendentibus tenebris, repente a fronte ac tergo ex insidiis coorti, improviso metu attonitos, velut indagine clausere. Loddus multis suorum amissis, inter caedem elapsus Miniate profugit. unde paulo post a Rodulpho in Germaniam revocatus, ne diutius precariis imperiis, caesarum majestas obsolesceret. Eodem anno inter Lucenses Mutinensesque simultates exortae, ac res utrinque invicem retentae. Sed brevi ab injuriis cessatum: paxque hinc lucensis populi nomine a Gerardo Vocio, inde Mutinensis a Manfredo Zea, inter utramque gentem sancita. Interim dum Carolus rex, a Martino pontifice contra Nicolai decretum senator urbis creatus in Etruria moratur, maturandi occasionem conjuratis praebuit. Jam inde a Conradini supplicio (1), non occulta siculorum odia in regem fervebant: quae aliis atque aliis in dies causis, impotens Gallorum natio, avare crudeliterque imperando alebat. ubi quis opibus, aut divitiis pollens, delator et judex parati: reique non pro criminum, sed pro auri modo aestimabantur. si liberius verbum dolori excidisset, securis et carnifex: nequidem relicta miseris lacrymarum impunitate. ad haec foeda libido,

(1) Ann. 1282.

non feminarum pudori, non corporibus parcere (1). et ut in quamque cupiditas exarsisset, nullum secreti, aut publici discrimen. velanda ac tegenda oculis ingerebantur; nec tam voluptas, quam crimen placebat. denique nihil eorum, quae Sicilia quondam a veteribus tyrannis tulisset, in tam misera servitute non agnoscebat. donec tandem suppressus diu dolor erupit, tam sine patientiae modo, quam sine ultionis. Conspiravere igitur in Gallos, Siculi odio; Palaeologus metu; quod Carolum, tamquam dotale, orientis imperium invasurum fama erat; Petrus rex Tarraconensium spe. quippe svevo sanguini, per conjugem Constantiam Manfredo genitam, affinitate innexus, geminum Siciliae regnum uxorio nomine deposcebat. totius vero technae fraudisque, is quem supra memoravi Joannes, artifex fuit. Hic Manfredi amore, cujus medicus extiterat, qua pollebat facundia Siculis servitutis acerbitatem, graeco Caroli ambitionem, Tarraconensi obvium paratumque regnum, obstentando, cunctos in suam sententiam consiliumque pertraxit. Initium caedis a Panormitanis factum. Ipso Dominicae Resurrectionis die (tantum odia valuere) ubi

(1) S. Antonin.

signum precum vespertinarum, sacro aere e turribus templorum concrepuit, Galli passim tota urbe trucidari coepti. non sexus, non aetas cuiquam saluti: in omnes pari odio saevitum. eo exemplo, ut in quemque locum fama perlata, passim in Gallos educti gladii: ubique ferro, vulneribus, caede, collectae ex alto irae expletae: tanta acerbitate, ut in ipsis matrum visceribus, quas ex Gallis concepisse suspicio esset, mucronibus nondum natos hostes scrutarentur. ea clade supra quatuor Gallorum millia, tota insula periere, eaque Vesperae Siculae appellata, vulgari proverbio locum fecit. per hunc modum Conradini manibus parentatum. Tristi nuncio siculae defectionis Carolus Etruria excitus, collectis undique militibus, ex Italorum Gallorumque gentibus, in Siciliam magnis itineribus contendit. quem tuscarum civitatum, ac Lucensium praecipuae auxiliares copiae sequutae(1). Eo anno tam ingentes imbres coelo lapsi, ut lucensis pisanusque ager eluvie obrutus late stagnaret. Pons sublicius, cui Tecto nomen, ad Auserem, aquarum impetum sequutus: quem lapideum restitui placuit. in ejus aditu turris extructa: eique tuen-

(1) Ptolem.

dae alia prope ad Lazari fanum excitata, cujus ruinae adhuc extant. tanta quoque, inter eas pluviarum tempestates, tonitrua extitisse dicuntur, ut immenso fragore quidam excusso spiritu exanimarentur. praeterea verno tempore, ingens adeo erucarum copia ex humore nimio genita, ut floribus frondibusque arborum erosis, non alia totis agris, quam mediae hyemis species, intuentibus occurreret. tam foedas tempestates frugum inopia consequuta, qua non Etruria modo, sed per universam Italiam laboratum. Insequenti anno (1) discordiae inter nobiles porcarienses blentinensesque de sextino lacu exortae, brevi per arbitrum compositae. Mercatoribus quoque lucensibus, ut a portoriis vectigalibusque immunes essent, a Genuensibus concessum: cum quibus etiam paulo post foedus contra Pisanos initum. quorum vires, Genuenses mari, memorabili iterum ad Maenariam pugna (2); captis XL. triremibus, aliis demersis; caesis V. captis XVI. millibus; Lucenses terra fregere. Quibus malis, rerum suarum desperatione, Ugolino guelpharum partium principi, civitatis imperium permittere coacti:

(1) Ann. 1283.
(2) Ann. 1284.

a quo Lucenses Librafactam ac Viaregium, quod deinde exitiale illi fuit, obtinuere. Hoc etiam anno Carolus rex in Apulia excessit. cujus morte in itinere audita, Lucensium copiae in ejus auxilium submissae, domum rediere. Eo qui successit anno (1) Lucenses una cum Florentinis caeterisque foederatis guelphae factionis, exercitum contra Pisanos conscripsere: ut Genuensibus mari, ipsis terra bellum gerentibus, ancipiti malo hostes urgerentur. Nec dubium erat, quin, si ut a Lucensibus, ita pari fide ac virtute a caeteris sociis pugnatum esset, pisanae reipublicae extremum fatum advenisset. Jam Lucenses in pisanum agrum transgressi, omnia infesta habebant. Florentinique ex altera parte DC. equitibus per volaterranos fines in loca Erae flumini adjecta immissis, plura ejus regionis oppida occupaverant. quare Ugolinus qui Pisis dominabatur, Florentinorum ducibus auro corruptis, quod vini amphoris inditum fama fuit, clam Genuensibus Lucensibusque, cum iis foedus iniit: ita compositis rebus, ut Ghibellinis pisana urbe ejectis, solus rerum potiretur. qua Florentinorum fraude, tantus armorum apparatus in irritum recidit: magno

(1) Ann. 1285.

Lucensium ac Genuensium dolore: qui se desertos proditosque a sociis acerbe questi, victoriam sibi e manibus ereptam, divos hominesque testabantur. Hac ratione novissimam cladem a pisana urbe hostes ipsi avertere. quippe ita constitutum erat, ut Pisis eversis, excisaque Ghibellinorum sede, incolae in vicos sparsim dividerentur (1); sera Florentinorum poenitentia; qui ultorem foederum Deum, multis postea Pisanorum injuriis vexati, non obscure sensere. Perseveratum tamen a Lucensibus ac Genuensibus, ab hisque Pisanus Portus captus eversusque: ab illis plurima Pisanorum oppida occupata. Eo anno Martinus pontifex Perusii fato concessit: aegritudine animi ob improsperas Guelphorum res, quam lenta febris excepit, consumptus. ei Honorius IV. nobili Sabellorum stirpe successit. brevique Carolum regni aemulum sequutus Petrus Tarraconensium rex; quam inanes sint mortalium curae, per scelera ac fraudes opes quaerentium ostendit.

---

(1) Villan. lib. 7. c. 97.

PRIMI VOLUMINIS FINIS

Lucae

Typis Francisci Bertini

MDCCCXXIX